# DE GRAMMATICIS PRÂCRITICIS.

---

# DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA

AD

VENIAM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

DIE XXII MENSIS JANUARII A. MDCCCLXXIV

HORA XII

PUBLICE DEFENDET

RICCARDUS PISCHEL,

PHIL. DR. SOCIET. ORIENT. GERM. SOC. ORD.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

BERTHOLDUS MUELLER, PHIL. DR.

CONRADUS PALM, PHIL. DR.

GEORGIUS BORDELLÉ, PHIL. DR.

---

VRATISLAVIAE.

APUD GOSOHORSKYUM (ADOLFUM KIEPERT).

Grammaticae Prâcriticae auctor habendus esset Bharata, fabulosus ille artis dramaticae Indicae parens, si audiendus esset Mârkaṇḍeyakavîndra, qui inter fontes suos Bharatae opus fuisse nos docet.[1]) Quis opus suum sub Bharatae nomine vendiderit nescimus; exstitisse tamen librum a Nâṭyaçâstra vel Alaṅkâraçâstra illo diversum ex nonnullis locis qui laudantur colligere licet. Etenim Mârkaṇḍeya ipse in fine praefationis grammaticae suae haec addit: yad âha paramarshir bharataḥ // dhâtuprâtipadikakṛttaddhitasuptiṅsamâsâdînâṃ / pariṇatir iha pravaktavyeti. // „Quod dixit vatum summus Bharata: Hoc opere immutatio radicum, nominum stirpium, suffixorum kṛt et taddhita, casuum terminationum, verbi personarum terminationum, compositionis, aliarum rerum illustranda est.“ Pro codicis corruptissimi lectione suptiṅasa ⁰ scripsi ⁰ tiṅ ⁰ et pro paravyeti scripsi pravaktavyeti, ut sensui satisfacerem; metrum quomodo restituendum sit nescio. Deinde Çaṅkara Vâsudevae filius ad Çâkuntalum 8, 15 haec habet: yad âha bharataḥ // saṃskṛtât prâkṛtaṃ çreshṭhaṃ tato 'pabhraṃçabhâshaṇaṃ. „Sanscrito Prâcritum praestantius est, illo lingua Apabhrañçica.“ et Candraçekhara ad idem drama p. 14, 14 (cfr. Çaṅkara ad 60, 4): ammo âçcaryaṃ / tad uktaṃ bharatena // vismaye tv ammahe ammo nityaṃ

---

[1]) Cowell: Vararuci ed. II. p. XI. Aufrecht Catalogus no. 412. p. 181 a. Weber: Indische streifen II, p. 59.

strîbhiḥ prayujyata iti / ; ad Çâk. 16, 1 prâkṛte hâ dhig ity arthe haddhî nityaṃ dvir ucyata iti bharataḥ / ad Çâk. 27, 3: hî mâṇahe çabdaḥ prâkṛte khede / hî mâṇahe bhaye kheda iti // hî hî bhoḥ çabdo vismaye / yad âha bharataḥ / hî hî bho vismayârthe tu prayuñjîta vidûshaka iti. Qui loci num in Alañkâraçâstra fuerint, dubito; nam de iisdem rebus docemur ab aliis grammaticis Prâcriticis, cum rhetorici taceant. Non est cur ex Dhanañjayae verbis (Daçarûpa II, 67 p. 110) concludas Bharatam in Alañkâraçâstra suo etiam de exclamationibus istis verba fecisse; nam quae ibi commemoratur udâhṛtiḥ, de verbis intellegenda est quibus singulas personas alloqui deceat, qualia Dhanañjaya ipse attulit (II, 64—66) et de quibus fusius disputavit Viçvanâtha in Sâhityadarpaṇa 431. Revera autem cogitasse Indos de Bharata illo antiquissimo, Mârkaṇḍeyae verba probant (paramarshiḥ), quae opinio per se insipida, non tam refellitur eo quod Bharata linguam Apabhrañçicam commemorat, — nam linguae Apabhrañçicae vetustissimae sunt — quam quod grammatica ista versibus erat composita, id quod est signum apertissimum aevi recentissimi. Quae praeterea sub Bharatae nomine a scholiastis, qui mihi innotuerunt, laudantur, ea omnia ex Nâṭyaçâstra desumpta sunt; grammaticorum Prâcriticorum nemo praeter Mârkaṇḍeyam Bharatae mentionem facit. Nâṭyaçâstram ipsum, quod Hall detexit et cujus partem in editione sua Daçarûpae publici juris fecit (p. 199—241) mea quidem opinione est recentissimum.

Sequitur Çâkalyas quem et ipsum commemorat Mârkaṇḍeya. In ipso Mârkaṇḍeyae opere bis eum laudatum inveni. Ad regulam quae cum Vararuce VI, 39 congruit, addit: tujjhatumbhau supi syâtâṃ // supi pare s ta etvaṃ / tujjhesuṃ / tumbhesuṃ / çâkalyasya mate anayor ata etvaprâptau [1]) it syât / tujjhisuṃ / tumbhisuṃ / etat tu

[1]) Cd. etvaṃ.

na bahusammatam // „Locativi pluralis stirpes sunto tujjha et tumbha. Si terminatio locativi pluralis sequitur, vocalis a immutatur in e. Secundum Çâkalyae opinionem, quando littera „a" eorum immutanda est in „e", (pro e) „i" fiat. Hoc vero a non multis probatur." Neque Hemacandra nec Drâvidae tale quid commemorant; exhibent vero formam tubbha de qua non est dubitandum cum Webero.[1]) Hemacandrae regula haec est (III, 103): supi // yushmadah supi paratah tutuvatumatuhatubbhâ bhavanti. / tusu / tuvesu / tumesu / tuhesu / tubbhesu / bbho mhajjhau veti vacanât (III, 104) tumhesu / tujjhesu / kecit tu supy etvavikalpam ichanti / tanmate tuvasu / tumasu / tuhasu / tubbhasu / tumhasu / tujjhasu / tubbhasyâtvam apîchaty anyah / tubbhâsu / tumhâsu / tujjhâsu / Idem docemur a Trivikrama australis Indiae grammatico Prâcritico II, 3, 9 et II, 3, 14. Simharâja, alius quidam australis Indiae grammaticus, pro tubbha formam tuhha docet, quae contra regulas grammaticae Prâcriticae est, cum r et h nunquam possint geminari. (Vararuci III, 54. Hemacandra II, 93.) Codices grammaticae Simharâjae litteris Malayâlicis scriptos ex codicibus litteris Granthicis exaratis transcriptos esse suspicor, cum in Grantha litterae h et bh sexcenties confundantur, qui error in litteris Malayâlicis fieri non potest. Voluit nimirum tubhbha. Deinde fol. 55 b, ubi de lingua Çaurasenica agit, Mârkandeya hoc decretum habet: bhuvo bhoh syât / bhodi bhodu / hoç ca çâkalyamate syât / hodi / cfr. Var. 12, 12. Hemac. IV, 269. Çâkalyam hunc eundem esse atque clarum illum grammaticum, cujus mentionem facit jam Pâninis, vix credibile est. Ne obliviscamur Indos mira quadam libidine induci, ut antiquissimorum auctorum nominibus opera recentissima assignent nec quae sit ars critica usque ad hunc diem in India notum est. Qua de re hanc quaestionem in incerto relin-

[1]) Hâla p. 21 ann. 2. cfr. Bhagavatî I, 389. 421.

quo. Idem dicendum erit de Kohara sive Kohala, d quo nihil habeo quod de meo addam.[1]) Nec magis cei tum est judicium de Pâṇine. Hunc quoque inter auctore grammaticae Prâcriticae fuisse Kedârabhaṭṭa[2]) et Malaya giris[3]) testantur. Kedârabhaṭṭae verba sunt: Pâṇinibha gavân prâkṛtalaxaṇam api vakti saṃskṛtâd anyat / dîrghâxaraṃ ca kutracid ekâṃ mâtrâm upaitîti // „Sanctus Pâṇinis de Prâcriti nota quoque quae differt a Sanscrito verba facit dicitque longam litteram nonnunquam unam mâtrâm asṣequi (i. e. brevem fieri)". Secundum d'Alwisium commentator docet sermonem esse de litteris Sanscriticis e et o, quae in nonnullis linguis (kutracid) breves fiant. Kutracid vero rectius intelleges de usu harum litterarum in carminibus poetarum Prâcriticorum (cfr. B. R. s. v. kutra c.). Malayagiris verba transferenda sunt: „Quod dixit Pâṇinis in Prâkṛtalaxaṇa suo: genus mutabile quoque (est)". Decreto illi Pâṇini attributo: liñgaṃ vyabhicâry api simile est sûtram quoddam Hemacandrae, qui linguae Apabhrañçicae terminis id coercet. IV, 445: liñgam atantraṃ // apabhraṃçe liñgam atantraṃ vyabhicâri prâyo bhavati. „Genus regulis non subjectum". „In lingua Apabhrañçica genus plerumque regulis non subjectum i. e. mutabile est". Exempla Hemacandrae sunt: kumbha in genere neutro pro masculino, abhra in genere masculino, antra in genere feminino et ḍâla i. e. latâ in genere neutro pro feminino. Suum fecerunt hoc decretum Trivikrama III, 4, 69 et Siṃharâja fol. 70 a. Laudant praeterea idem decretum Kâṭayavema et Nivâsâcârya Timmayae filius, Çâkuntali recensionis Drâviḍicae commentatores (ad p. 20, 6 ed. Böhtlingk.), sed hi non jam ad Apabhrañçam solum id adhibent, sed, ut Malayagiris,

[1]) Weber: Indische studien VIII, 272. 273. Indische streifen II, 59. B. R. s. v.

[2]) d'Alwis: An introduction to Kaccâyana's grammar p. XXV.

[3]) Weber: Indische streifen II, p. 325 ann. 2. Ind. stud. X, p. 277.

habent: prâkṛte liñgam atantram; sic enim Kâṭayavemae decretum corrigendum est. Abhirâma quoque annotat: âhâram iti prâkṛte punnapuṃsakayor aniyamât. Nec tamen decretum illud tam generaliter ad dialectos praecipuas est adhibendum. Sunt sane vocabula quaedam quae in lingua Prâcrita genus immutavere, sed nec multa sunt nec semper sibi constant.[1]) Omnium notissimum est vocabulum hṛdaya, quo non raro masculino genere utuntur poetae. Urv. 23, 10: sahi hiao edaṃ savvaṃ jâṇâdi. Urv. 46, 19 vox thirâso referenda est ad hiaaṃ et Urv. 22, 21 cum codice optimo A necessario legendum est hiao, quod post verba praecedentia ko uṇa .. pesido et enunciationum concinnitate et Kâlidâsae usu loquendi flagitatur. Mâlatîmâdhava ed. Calc. 1866 p. 137, 3: hadâsa vajjamaa savvadhâ ṇisaṃso si hiaa. Ratnâvalî ed. Calc. saṃvat 1928 p. 36, 1. 2. 3 aï ṇisaṃsa hiaa ..... khaṇamettadaṃsaṇaparicidaṃ jaṇaṃ aṇugachanto ṇa lajjesi. Nihil igitur est quod hac de re dubitemus cum Webero ad Hâlam v. 347. Aliud exemplum neutrius quod in masculinum abiit est pabhâdo Mṛcchakaṭikâ 93, 7 juxta pabhâdaṃ 93, 5. 6); aliud est pavahaṇo Mṛcch. 97, 7. 100, 15, 16. 101, 2; multo saepius ibidem neutrum exstat. Adde jaso Setubandha I, 4. Pro neutro accipi possunt: pattâ Mṛcch. 133, 23. 24. âsaṇâ Mṛcch. 136, 6 (cfr. 69, 16. 88, 3. 136, 3. 137, 3. 145, 1) akkhalâ Mṛcch. 142, 14. akkharâ Mṛcch. 153, 18. alañkârâ Mṛcch. 152, 6; masculini quod in neutrum abiit exempla sunt danta Çâk. 151, 6: dantâiṃ de gaṇaïssaṃ; guṇa Mṛcch. 37, 14: guṇâiṃ coria; goṇâiṃ Mṛcch. 122, 15. 132, 16. Undecim locis masculini generis est. Feminini quod masculinum genus sequitur exempla sunt sarao pro çarad Setubandha I, 16; vela pro velâ Mṛcch. 132, 14, quod tamen etiam neutrum esse potest; âsañgho Urv. 11, 2 ṇa hu me âsi âsañgho. Bollensen hoc vocabulum ab âçaṃsâ derivat; crediderim po-

[1]) Cfr. Hemac. I, 31—36.

tius ex âçañkâ id esse ortum, id quod varia lectio âsañgo probare videtur. In Mudrârâxasa saṃvat 1926 p. 46, 3 substantivum Sanscriticum exstat âçañghâ, quod nisi errori debetur pro vocabuli Prâcritịci fonte habendum est. Idem vocabulum mere Prâcriticum restituendum est Çâk. 157, 9 ṇa me âsañgho attaṇo bhâadheesuṃ; sic enim optimi codices qui sunt Bengalici hunc locum exhibent. Memorabile est codicem S in ipso textu habere âçañkâ. Codices et commentatores Drâviḍici âsaṃsâ praebent, codices Devanagarici, ut semper, pessimam et recentissimam glossae formam: âsâ. In Mâlatîmâdhava quoque 32, 5 legendum est: dâṇiṃ pi me hiaassa anâsañgho et sic aliis locis quibus nunc est aut âsañgo aut âsâ. Candraçekhara annotat: âsaṃghaçabdaḥ prâkṛte âçvâsârthaḥ et sic Rañganâtha ad Urv. 11, 2 vocabulum reddit voce âçvâsa. Trivikrama I, 3, 106 derivat id a voce âsthâ simplici ratione: thâkârasya aṃghaḥ. Vereor ut grammaticae comparativae sectatores ei credant. Exstat praeterea verbum âsaṃghadi Hemacandra IV, 35. Trivikrama II, 4, 79. Siṃharâja fol. 56 b: saṃbhâver âsaṃghaḥ // saṃbhâvayater âsaṃgha ity âdeço vâ bhavati / âsaṃghaï / saṃbhâveï.[1]) Cfr. etiam: Paul Goldschmidt: Specimen des Setubandha I, 15 annot. p. 73. Hoc opusculum praestans in manus meas venit, cum haec dissertatio jam ad finem erat deducta. Neutrius quod in femininum abiit exemplum est sumanas; Mṛcch. 3, 1. 21 sumaṇâo. Cfr. Lassen: Institutiones Prâcriticae p. 309. In lingua gâthârum Lalitavistarae frequentissima est generis immutatio e. g. kusumo p. 60, 8; 134, 5; kûṭâgâro 72, 10; udako 87, 6; duḥkho 106, 11 et multis aliis locis. Cfr. Muir Original Sanskrit Texts II, p. 118 (ed. 2). Minime autem dubitant grammatici et scholiastae regulam specialem reddere generalem, quando res ipsa id flagitat. Sic secundum Hemacandram et Trivikramam in lingua Paiçâcica

[1]) Cdd. Hemacandrae °bhâvaï.

littera l mutatur in ḷ. Jam in codicibus Drâviḍicis locis Prâcriticis semper ḷ pro l est in usu, quod ut explicet Siṃharâja hanc viam ingressus est, (fol. 12 a) ut primum laudet decretum illud ad linguam Paiçâcicam pertinens lo ḷaḥ, deinde decretum Hemacandrae IV, 447 vyatyayaç ca // prâkṛtâdibhâshâḷaxaṇânâṃ prâyo vyatyayaç ca bhavati / yathâ mâgadhyâṃ tishṭhaç cishṭha ity uktaṃ tathâ prâkṛtapaiçâcîçaurasenîshv api bhavati / cishṭhadi / etc., denique addat: iti paiçâcyuktaṃ ḷatvaṃ atrâpi bhavati.[1]) Hac sane ratione, quam vel Hemacandra admittit, quaecunque placet probare potes. Haec congessi, ut probabile reddam, decretum illud Pâṇini attributum et a Kâṭayavema et Nivâsâcârya laudatum non diversum esse ab Hemacandrae et Trivikramae et Siṃharâjae decreto, eosque non minus quam Malayagirem, qui id adfert ad discrepantiam subjecti et praedicati explicandam, nimis extendisse vim decreti istius, quem morem perversum scholiastarum jam notavit Senart ad Kaccâyanam I, 2, 9. Sunt perpauca vocabula, qualia doṇi, tiṇṇi, sakkaṃ, juttaṃ, quae cum ipsa sint in genere neutro cum alterius generis vocibus possunt conjungi.[2]) Contra usum linguae nostrae in lingua Prâcrita pronomen si subjectum est et pro praedicato habet substantivum, cum praedicato suo in genere congruit. Nos dicimus: „das ist gewalt“ et sic fere Graeci Aristophanes ran. 21 *οὐχ ὕβρις ταῦτ' ἔστιν*, nub. 1299: *ταῦτ' οὐχ ὕβρις δῆτ' ἔστιν*, Euripides Hippol. 476: *οὐ γὰρ ἄλλο πλὴν ὕβρις τάδ' ἔστιν*. Lucianus Dialog. mort. II, 2 *ταῦτα οὐχ ὕβρις;* at rex Çûdraka Mṛcch. 17, 23 kiṃ eso balakkâro. Similiter p. 87, 12: kâ tumhâṇaṃ rukkhavâḍiâ vuccadi, ubi nos: „was wird von euch ein garten genannt“ p. 93, 7 amhâṇaṃ eso pabhâdo ajjuâe uṇa ratti

---

[1]) Cfr. Colebrooke: Miscellaneous Essays II, 67.

[2]) Vararuci VI, 56. 57. Lassen Instit. p. 319. Bollensen ad Urv. p. 227. Höfer: Zeitschrift für die wissenschaft der sprache II, p. 181 sq. Klatt: de trecentis Câṇakyae sententiis Halis Saxonum 1873, p. 25. 26.

jeva „für uns ist dies morgen, für die herrin nacht"; p. 103, 10: râaaṇṇâ esâ „es ist der befehl des königs". Çâk. 69, 14 eso duvvâsâ „es ist Durvâsâḥ". Eadem est regula in linguis Latina et Graeca. Utuntur autem australis Indiae grammatici Prâcritici eadem atque Pâṇinis terminologia, ita ut, cum mihi innotesceret Trivikramae opus nequedum Hemacandrae grammaticam inspexissem, Pâṇinis grammaticam Prâcriticam me repperisse putarem; nam Trivikrama ipse se vṛttim solam composuisse dicit neque usquam se vyâkaraṇae quoque auctorem esse gloriatur. Deinde Siṃharâja decreta Trivikramae laudat ut quae sint omnibus notissima, idemque faciunt scholiastae Drâviḍici. Nescio quae mutaverit et addiderit in vyâkaraṇa quoque Trivikrama; si nihil mutavit, auctorem vyâkaraṇae Hemacandra recentiorem esse patet. Etenim in commentario ad decretum IV, 2, in quo decem substitutiones radicis kath enumerat, Hemacandra dicit: ete cânyair deçîshu paṭhitâ api asmâbhir dhâtvâdeçîkṛtâḥ vividheshu pratyayeshu pratishṭhantâm iti. „Hae (substitutiones) quamquam ab aliis in numero localium prolatae sunt a nobis radicum substitutiones redditae varia affixa assumant." Jam in Trivikramae vyâkaraṇa III, 1, 70 haec vocabula inter dhâtvâdeçâs enumerantur, ut sit liquidum non Hemacandram sumpsisse materiam ab ignoto illo vyâkaraṇae auctore sed illum usum esse Hemacandrae grammatica, id quod praeterea totum opus probat. Trivikrama autem Hemacandrae mentionem facit et fere totum commentarium ab illo furatus est. Siṃharâja quidem harum substitutionum nullam habet inter dhâtvâdeçâs; sed ipse fol. 56 a se nonnullas tantum substitutiones proferre dicit: atha dhâtvâdeçâḥ kecid ucyante et revera exiguum tantum numerum commemorat. Hujus auctoritas igitur nulla est. Similitudo quae inter australis Indiae grammaticas Prâcriticas et Pâṇinis grammaticam Sanscriticam intercedit, fortasse effecit, ut Pâṇini quoque grammaticam Prâcriticam adscriberent. Ego Prâkṛtalaxaṇam illud fuisse opus

recentissimum et Pâṇinem ex numero grammaticorum Prâcriticorum eximendum esse censeo. Hoc loco statim absolvamus Kapilam cui decretum Prâcriticum attribuit Mârkaṇḍeya fol. 56 b. Sermo est de radice grabh; verba ipsa tam corrupta sunt, ut conjecturis abstineam. Hoc unum miror, Indos memoriae non tradidisse Indram quoque et Çivam auctores fuisse grammaticarum Prâcriticarum.

Antiquissima quae ad nos pervenit grammatica Prâcritica est Vararucis Kâtyâyanae Prâkṛtaprakâça sive Prâkṛtacandrikâ, cujus editionem egregiam debemus Cowellio. Kaccâyanam, grammaticum illum Palicum, eundem fuisse atque Vararucem nostrum, hodie nemo affirmabit. Tota operis ratio Kaccâyanae a Vararucis ratione tam diversa est, ut, si pauca tantummodo decreta comparabis in Senartii et Cowellii editionibus, statim intelleges fieri non posse, ut idem vir composuerit utramque grammaticam. Nemo, opinor, nunc de hac quidem re dubitabit. Difficilior est quaestio, num Vararucis idem sit atque Kâtyâyana vârtticorum auctor. Recte quidem d'Alwis (l. l. p. XXXVIII): Identity of names, inquit, does not prove identity of persons; itaque si vârttikakâram et grammaticum Prâcriticum uno nomine aut Kâtyâyanam aut Vararucem appellarent, nihil esset, cur hoc nomine eandem personam denotari putaremus. Sed velim te non oblivisci a Sâyaṇa, vel Mâdhava potius, in commentario ad Rigvedam I, p. 36, 2 vârttica adscribi Vararuci (Cowell praefatio ad sec. ed.) cum solito ea attribuant Kâtyâyanae.[1]) Contra grammatica Prâcritica attribuitur Kâtyâ-

[1]) Monet me praeceptor meus carissimus Prof. Stenzler eadem verba quae ibi a Sâyaṇa ex vârtticis adferantur ab eodem in commentario ad Taittirîyasaṃhitâm I, p. 43, 10 a disertis verbis Kâtyâyanae attribui. Ad locos lexicographorum quibus Kâtyâyana idem atque Vararucis fuisse traditur (cfr. B. R. s. v. s. v.) addere possum

yanae ab auctore quodam commentarii ad ipsam hanc grammaticam. Nomen commentarii est Prâkṛtamañjaris; exstat codex papyraceus Londini in bibliotheca Societatis Regiae Asiaticae numero III insignitus. Nitide scriptus est litteris Malayâlicis. Fragmentum solum continet; nam desiderantur omnia inde a Vararuce VI, 18. Auctor qui nusquam nomen suum professus est commentarium versibus confecit. Usus quidem est Bhâmahae commentario, nec tamen semper cum eo congruit; omittit nonnulla, addit alia quae in Bhâmahae commentario non reperiuntur. Textus Vararucis ipse, qui commentario praefixus est, a Cowellii textu non raro discrepat; subjungam infra quae commemoratione imprimis digna videntur. Codex non sine vitiis exaratus est. Hic autem Prâkṛtamañjaris auctor sic opus suum satis turgide praefatus est:

idam andhatamo bhitvâ yajjyotir bhâsate paraṃ
namo bhagavate tasmai sûryâya paramâtmane //
udetu bhagavân bhânur udayâdrer ivâtmanaḥ
yena vâco yathârthaṃ nu[1]) sphurantu sagaṇâs svayaṃ /
prabhavantu ca vâcas tâ yâsâṃ mâdhuryam uddhṛtaṃ
prâkṛtachadmanâ cakre Kâtyâyanamahâkaviḥ.
vande Vararuciṃ tac ca yat prajñâmañjarîmadhu
adyâpy âsvâdayanty eva hṛdyaṃ vidvanmadhuvratâḥ
vyâhartuṃ prâkṛtatvena giraḥ pariṇatiṃ gatâḥ
ko 'nyaç çakto bhavet tasmât kaveḥ Kâtyâyanâd ṛte //
aho tat prâkṛtaṃ hâri priyâvaktrendusûnṛtaṃ[2])
sûktayo yatra jâyante sudhânishyandanirbharâḥ //
yâvat prâkṛtasûtrâni vyâkhyâsyâmo vayaṃ punaḥ
na vidyâdarpakaṇḍûtyâ kevalaṃ tadvivitsayâ //

---

Maheçvarae testimonium (Viçvakosha v. 1154. MS. Chambers 227. MS. or. oct. 99) kâtyâyano vararucau gauryâṃ kâtyâyanî matâ.

[1]) Cd. na.

[2]) Cd. sururaṃ.

Kâtyâyanapraṇîte ʼsmin prâkṛtâbdhau titîrshayâ
aprajñâpotatantrâya namo mahyaṃ nimajjate //
tat prasannâçayâs santo dhatta çravaṇagocarâṃ
imâṃ Vararuciprajñâvallyâḥ[1]) Prâkṛtamañjarîṃ
vikriyante[2]) ʼtra sûtrârthâḥ kathyante rûpasiddhayaḥ
vadyante ca gaṇâs te te tatra tatra yathâtathaṃ //

„Veneratio sit universi menti divinae, sancto Soli, cujus summum lumen splendet perruptis hisce spissis tenebris. Exoriatur sanctus sol mentis ut (sol) montis ortus[3]), (sol) per quem vocabula cum ordinibus suis sua sponte ut decet fulgeant; conspicuaeque fiant voces eae quarum dulcedinem extractam Prâkṛti tegumine vestivit magnus poeta Kâtyâyana. Saluto Vararucem idque mel suave florum fasciculi intelligentiae, quod nunc quoque gustant apes doctae (i. e. apes qui sunt docti homines). Quis alius potens sit vocum quae statu Prâcritico immutationem subierunt promulgandarum excepto hoc poeta Kâtyâyana? O hoc Prâcritum suave, ut amatae oris luna venustum, ubi blandi sermones gignuntur referti flumine nectaris! Age nos iterum explicabimus decreta Prâcritica non titillatione superbiae scientiae (nostrae) sed desiderio ducti eorum discendorum. Veneratio erga me qui dependeo ex navi inscitiae, submergitur in hoc oceano Prâcriti a Kâtyâyana procreato, dum eum pernavigare studeo. Qua de re, o boni, clementi animo aures praebete huic Fasciculo Prâcritico lianae intelligentiae Vararucis. Explicantur hic sententiae decretorum et perfectiones formarum et proferuntur omnes ordines suo loco ut justum est.“ Praeterea ad II, 2 addit: bahulaṃ prâya ity uktaṃ

---

[1]) Cd. °valyâḥ. Âvalî sensu caret.

[2]) Cd. vipriyante.

[3]) Ludit auctor cum nomine Vararucis, quem solem mentis appellat. Melius igitur videtur udayâdrer et âtmanaḥ pro genetivis quam pro ablativis accipere.

prâyaḥ Kâtyâyanena vai // „Pro bahulaṃ plerumque prâyaḥ usurpatur a Kâtyâyana.“ Itaque ex Mâdhavae testimonio dubium esse non potest, quin Kâtyâyanae vârtticorum auctori nomen Vararucis fuerit et ex hoc Prâkṛtamañjaris auctoris testimonio perspicuum est Vararucem nostrum cognomen Kâtyâyanae habuisse. Auctoritas Somadevae igitur his testimoniis summopere augetur. Neque video cur traditioni illi fides non sit habenda. Per se minime incredibile est Kâtyâyanam composuisse grammaticam Prâcriticam aut Vararucem nostrum fuisse vârtticorum auctorem. Seu ante seu post Buddham floruit Pâṇinis, antiquissimus qui ejus sûtra recensuit grammaticus, licet non multo recentior fuerit quam Pâṇinis ipse, linguas Prâcriticas certe jam cognitas habuit. Itaque ego Vararucem nostrum eundem fuisse arbitror atque Kâtyâyanam vârttikakâram. Non meum est hoc loco diutius morari in Vararucis grammatica satis nota. Superatur Vararucis ab Hemacandra et Drâviḍis non solum animo critico sed etiam multo largiore materia. Vararucis aetate grammaticam Prâcriticam nondum fuisse valde cultam affirmaverim. Commentator Vararucis exstitit Bhâmaha, cujus commentarius, Prâkṛtamanoramâ, ut ipse dicit, brevis est et perspicuus. Typis expressus est in Cowellii editione; certe vetustior est quam Prâkṛtamañjaris, ad quam revertor. Ac primum quidem, ut ingenium commentatoris illustrem, commentarium ad prima tria decreta Vararucis exhibebo, quo facto satis perspicua erit et similitudo et differentia ejus a Bhâmahae commentario.

// âder ataḥ //

âder ity adhikâro 'yam âparicchedapûraṇât
ata ity api tasmât prâg ata ity atra yo 'vidhiḥ[1])
ekasminn api çabde syâd eka evâd anekaçaḥ
âder iti tadâdes syâd na padâder iti smṛtiḥ.

---

[1]) I. e. ata quoque adhikâra est usque ad regulam (ad verbum: ante hanc regulam) quae est de ata i. e. usque ad (ante) Vararucem I, 10.

// â samṛddhyâdishu vâ //
anekeshâm akârâṇâm akârasyâdibhâvinaḥ
samṛddhyâdishu çabdeshu syâd âkâro vikalpataḥ
samṛddhir iti sâmiddhî samiddhî vâ bhavet punaḥ
sadṛxam api sâriccham sariccham vâ nigadyate
prasuptaç câpi pâsutto pasutto vâbhidhîyate.
çesheshv api vimṛçyantâm evaṃ rûpaviparyayâḥ
samṛddhiç ca sadṛxaç ca prasuptaḥ prakaṭas tathâ
prasiddhir abhijâtiç ca pratipac ca manasvinî
pratisparddhîti vijñeyas samṛddhyâdir ayaṃ gaṇaḥ
laxye ऽ nye ऽ trâpi yal labhyaṃ tad apy antargataṃ padaṃ.

// id îshatpakvasvapna° //
îshat pakvaṃ tathâ svapnaṃ vetaso vyañjanaṃ punaḥ
mṛdaṃgaç ca tathâṃgâra eshu çabdeshu saptasu
ata itvaṃ bhaved îshad isi (sic!) vâ punar îsa (sic!) vâ
pakvaṃ pikkaṃ ca pakkaṃ vâ tathânyeshu ca dṛçyatâṃ
itvam îshatpade kaiçcid îkârasyâpi [1]) veshyate [2])
isi cuṃbiyam ity âdi rûpaṃ, tena hi siddhyati.

In tertia linea commentarii ad tertium decretum pro isi legendum est îsi, ut docent insequentia verba (l. 5. 6); in quinta linea pro ikârasyâpi codicis correxi îkâra° Exemplum in ultima linea ex Çâkuntalo dist. 4 sumptum est, quod in omnibus codicibus Drâviḍicis incipit verbis isicuṃbiâiṃ. In Hemacandrae decreto I, 46 unica forma îsi commemoratur; Trivikramae codex I, 2, 11 îsî exhibet, Mârkaṇḍeya isi, Nârâyaṇa îsi tradit. Textus grammaticae, ut supra jam commemoravi, nonnullis in decretis a Cowellii editione differt. Desunt decreta Vararucis I, 7. 43. II, 5. 18. 37. 40. 42. III, 37. 56. IV, 8. V, 19. 39; decreti V, 36 commentarius solus exstat; decreta II, 36. 38 mutilata

[1]) Cod. ikâr°
[2]) Cd. veshṭyate. Conjecturam debeo Stenzlero.

sunt. Decretorum I, 27—32 ordo hic est: I, 27. 30. 31. 28. 29. 32.

Post I, 17 additur: // ive lopo nityaṃ //
ivaçabde tv ikârasya lopo nityaṃ vadishyate
yathâ rạa va[1]) ruddhaṃ va[2]) kahaṃ vetyâdi siddhyati.

Post IV, 25 additur: // svârthe ko vâ //
kapratyayaḥ prayoktavyaḥ svârthe vâ prakṛteḥ paraṃ
padmaṃ pudumayaṃ vâcyaṃ paxe padumaṃ eva vâ.

„Affixum ka pro libitû sensu vocabuli non mutato ultra stirpem (vocabuli) adhibendum est“ etc. Decretum II, 4 exhibet:

// sphaṭikanikashacikuraçîkareshu haḥ //;
II, 19 // kabandhe yaḥ //
kabandhe vartamânasya halo yatvaṃ vidhîyate
adhikârâd bakârasya kayandhaṃ taṃ vidur budhâḥ.

„Consonans quae est in kabandha mutatur in ya. Ex adhikâra (Varar. II, 1) (sequitur) (mutationem fieri) litterae b (non litterae k neque litterarum ndh), (unde) prudentes hoc (i. e. formam vocis) sciunt esse kayandhaṃ.“ Decretum II, 23 est: ḍasya vâ, II, 26 pho haḥ, ad quod additur:

// yathâdishu haḥ //
yathâdishu thakârasya hatvam uktaṃ yathâ jaha
âdiçabdena boddhavyam anyathetarathâdayaḥ e. q. s.

Commentarius ad II, 46 est: divaso diaho vâcyaḥ paxe syâd diyaso mataḥ. Hemacandra quoque formam in so admittit I, 263 idemque faciunt Trivikrama I, 3, 89 et Siṃharâja fol. 37 a. Forma diaso sermoni pedestri i. e. linguae Çaurasenicae propria est. Cfr. Urv. 52, 1 imesuṃ diasesuṃ Mṛcch. 68, 4 divasassa. Çâk. 40, 8 diase (sic optimi codd.) 47, 9 aṇudiasaṃ, 50, 3 imesuṃ diasesuṃ (solus S diahesuṃ), 64, 2 diaso, 118, 15 diasâ, 159, 7 tesuṃ

---

1) Cod. vi.
2) Cod. vâ.

divasesuṃ. In lingua Mahârâshṭrica et diaho et diaso usurpari potest, cfr. Paul Goldschmidt l. l. p. 72. In Çâkuntalo recensiones Devanagarica et Drâviḍica semper fere diaho exhibent; si discere vis quae in lingua Çaurasenica non sint permissa, suadeo tibi, ut has recensiones perquiras. Retinet formam divaso non solum lingua Pâlica (cfr. Childers s. v.), sed etiam Jainarum dialectus (Weber Bhagavatî p. 378). In lexico Leydeniano ex Munipaticaritra laudatur forma divaso, ex Saṃgrahaṇîratna locativus diyammi. Hodiernus sermo Mahrathicus unam formam divasa agnoscit.

Decretum III, 36 in Prâkṛtamañjarî est: spasya ca, III, 45: tâlavṛnte ṇḍaḥ, unde III, 46 simpliciter: bhindipâle ca; III, 47 est:

// vihvale ho vâ //

hatvaṃ vihvalaçabde ś smin vikalpena vidhîyate
vihvalaṃ vibbhalaṃ vâpi paxe vihalam ucyate.

Hemacandra II, 58, Trivikrama I, 4, 52 docent formas: bhibbhalo, vibbhalo, vihalo; glossa marginalis codicis A Hemacandrae addit formam bhiṃbhalo. III, 62 est: ic chrîhrîklântakleçamlânasvapnasparçaharsheshu, III, 63 ut W habet at; IV, 11 est: prâvṛshas saḥ (om. dik) Post IV, 27 quod est corruptum, addit:

// sthitiparivṛttiḥ //

sthitis sthânaṃ mataṃ tasyâç çabde ś pi parivartanaṃ
parivṛttir matâ seyaṃ adhikâro dvayor iha.

„sthitis appellatus est locus (singularum litterarum); ejus (sthitis) in vocabulo transmutatio appellata est parivṛttir. Est adhikâraḥ duorum insequentium decretorum (IV, 28. 29)“. Recte igitur in codice in decreto IV, 28 omittitur sthitiparivṛttiḥ. IV, 30 est:

// bṛhaspatau bahor hayaṃ //

bṛhaspatim uçanty asmât prâkṛtajñâ hayappaî.

Hemacandra II, 53. 69 docet: buhapphaî, buhappaî, vihassaî, vahapphaî, bhayassaî, bhayapphaî; Trivikrama I,

4, 46. 74: bühaphphaî, vuhaphphaî, vahassaî, vahappaî, haassaî, haaphphaî. Siṃharâja fol. 36 a duodecim formas enumerat quas hoc loco silentio praetereo. Commentarius ad IV, 33 longiorem disputationem requirit quam quem hoc loco possim commemorare. V, 12 omittit aṅiṅasoḥ; V, 42 est: ṅasaç ca dvitvaṃ jalopaç ca V, 44 ṇoṇamor âd aṅasi; V, 45 et in decreto et in commentario habet appaṇo; V, 47: brahmâdayo ऽ py evaṃ. VI, 6: itas ssâse. Haec fere sunt quae paullo graviora videntur; decedit praeterea Prâkṛtamañjaris a Bhâmahae commentario non paucis in rebus et textus decretorum hic illic differt a reliquis Vararucis codicibus; sed incertum est, quantum debeatur scribae socordiae.

Progredior ad grammaticos Prâcriticos, qui Vararucis rationem secuntur, quibus adjungam eos quorum opera nondum sunt reperta. Primus sit Kramadîçvaras Saṃxiptasârae auctor, de quo vide quae disputavit Lassen: Inst. Prâcr. p. 15 — 19. Delius: Radices Prâcr. p. X sq. Ex partibus eis quas ediderunt Lassen et Delius apparet Kramadîçvaram non solum Vararucis opere esse usum, sed etiam aliorum grammaticas perquisivisse, in quarum numero etiam Hemacandrae grammatica fuisse videtur. Valde optandum est, ut editio integra jam viginti annis abhinc a Râjendra Lâlamitra promissa aliquando ad lucem perveniat. Teneo in manibus folia nonnulla editionis ejus, quae ad amicum quendam initio prioris anni ex India erant missa. Continent non solum partem textus ipsius, sed etiam versionem Anglicam et indicem satis amplum verborum Prâcriticorum quae in dramatis notissimis occurrunt. Index jam ad literam s erat deductus, qua de re spero fore, ut editio illa mox publici juris fiat. Commentarius in Saṃxiptasâram est Caṇḍîdevîçarmanis Prâkṛtadîpikâ. (Lassen, Inst. Prâcr. p. 16. 17.) Brevior etiam quam Kramadîçvarae grammatica est Râmatarkavâgîçae Prâkṛtakalpatarus, de quo disputavit Lassen l. l. p. 19—23. Codex nunc asservatur in bibliotheca Curiae Indicae sub

numero 1106; scriptus est litteris Bengalicis; folia continet 47. Codex tam mendose exaratus est, ut operae non sit pretium denuo eum examinare. Quae ex eo elici possunt, Lassen solita sua sagacitate jam eruit. Intercedit autem magna similitudo inter Râmam et Mârkaṇḍeyam, imprimis in eis partibus quae sunt de dialectis inferioribus. Mârkaṇḍeya tamen vel Râmam superat et summopere dolendum est, quod codex Oxoniensis incredibili fere modo corruptus est. Si in India exstant alii ejusdem operis codices, bene merebitur de litteris Prâcriticis qui Mârkaṇḍeyae grammaticam edet. Disseruit de Mârkaṇḍeya: Aufrecht Catalog. no. 412, p. 181. In medio opere laudantur hi auctores et opera: Aniruddhabhaṭṭa (fol. 60b dâxiṇâtyâ (scil. bhâshâ) kutracid dṛçyate / kevalam aniruddhabhaṭṭena // dâxiṇâtyapadâlambi saṃskṛtâṃgaṃ vijṛmbhitaṃ / kâvyapîyûshanisyandi dâxiṇâtyam iti smṛtaṃ (cod. ritaṃ) ity uktaṃ); Bhaṭṭikâvyam, Bharata, Bhâmaha, Bhojadeva; Çâkalya, Daṇḍin, Hariçcandra (fol. 65b çakkî syât saṃskṛtaçaurasenîg (sic! dele g;) anyonyamiçrite / hariçcandras tv imâṃ bhâshâm apabhrañça itîcchati); Kapila, Kohala, Piṅgala, Râjaçekhara, Saptaçatî, Setubandha, Vasantarâja, Vararuci. Doleo quod mihi non contigit alium codicem Mârkaṇḍeyae grammaticae reperire; perquirendi erunt codices litteris Drâviḍicis scripti; nam hunc codicem apographum esse ex archetypo Drâviḍico errores librarii probare videntur. Idem dicendum est de Vasantarâjae grammatica Prâcritica, Prâkṛtasaṃjîvanî appellata. Vidimus supra Vasantarâjam quoque a Mârkaṇḍeya laudari, neque dubito, quin idem sit atque auctor nâṭyaçâstrae cujusdam quod suo nomine nominaverat Vasantarâjîyam. Praedicat eum Kâṭayavema, unus ex scholiastis Drâviḍicis Çâkuntali, initio commentarii sui (East-India-Office no. 2697):

kîrtipratâpasaubhâgyatyâgabhogavibhûshitaḥ
kavibhir bahubhiḥ çlâghyaḥ kumâragirijo nṛpaḥ /
munînâṃ bharatâdînâṃ bhojâdînâṃ ca bhûbhujâṃ

çâstrâṇi samyag âloċya nâṭyavedârthavedinâm
proktam vasantarâjena kumâragiribhûbhujâ
nâmnâ vasantarâjîyam nâṭyaçâstram yad uttamam.

„Rex Kumâragiri natus gloria dignitate felicitate liberalitate fructu excellens a multis poetis praedicandus est. Postquam vatum Bharatae et reliquorum regumque Bhojadevae et aliorum qui argumenti Nâṭyavedae periti sunt opera diligenter examinavit, promulgatus est a Vasantarâja liber nomine Vasantarâjîyam, qui est summus librorum de arte dramatica." Kâṭayavema, qui commentarium suum in Çâkuntalum appellavit Kumâragirirâjîyam, et in hoc commentario et in commentario ad Mâlavikâgnimitram Vasantarâjîyam hoc saepe laudat; grammaticae Prâcriticae ille quidem mentionem non facit. Nihil habeo quod de Vasantarâjae libro addam ad verba Cowellii Vararuci p. X. XI, cfr. etiam B. R. s. v. Probabiliter idem factum est de Vasantarâja, quod saepe observamus in litteris Indicis, homines adulationis caussa sub principis nomine libros suos edidisse. Vasantarâja cum Kumâragiris rex appelletur, ex Daxiṇâpatha erat oriundus; (Kumâragiri a place on the frontiers of the Nizam's country [i. e. Hyderabad]; Mackenzie Collection I, 109.) Verisimile igitur est literis eum usum esse Drâviḍicis, quod idem fecisse Kâṭayavemam nuper probavi.[1]) Quando floruerit Vasantarâja non plane liquet; recentiorem eum esse quam Bhojadevam Kâṭayavema testatur, qui ei a consiliis fuit. Böhtlingk (Çâk. p. IX) post saeculum sextum decimum floruisse Kâṭayavemam censet, quia Halâyudham laudat. Quamquam quae ex eo adfert in Aufrechtii editione non insunt, ut monui in dissertatione mea de Çâkuntali recensionibus p. 38, tamen non subest librarii error. Alius enim commentator Çâkuntali, Nivâsâcârya Kâṭayavemae

---

[1]) Nachrichten von der kgl. gesellschaft der wissenschaften zu Göttingen 1873, no. 7 p. 200 sq., p. 208.

commentario est usus et eadem verba sub Halâyudhae nomine laudat. Hoc igitur certum est, Kâṭayavemam cognitum habuisse Halâyudham, quamvis per errorem auctorum nomina confuderit. Etenim ex Abhirâmae commentario video, verba ista ex Vaijayantî esse desumpta, id quod eo probabilius est, quod australis Indiae commentatores hoc potissimum lexicon laudare solent. Inde saepissime commemoratur a Mallinâtha (cfr. Stenzler: de lexicographiae Sanscritae principiis p. 18. 19), qui ex australi India fuit oriundus. Recensiones Raghuvançae et Kumârasambhavae a Stenzlero editae, non sunt recensiones Devanagâricae sed Drâviḍicae, id quod alio loco probabo; relego te interim ad Burnellii egregiam dissertationem quam editioni suae Vaṃçabrâhmaṇae Sâmavedae praefixit p. VII et annot. Cfr. infra p. 37 sq.

Vararucis grammatica usus est etiam Vidyâvinodâcârya, cujus grammaticae pars a Nârâyaṇa quodam denuo disposita asservatur in bibliotheca Bodleiana Wilson no. 349. Aufrecht: Catalog. p. 181 b no. 413. Ex praefatione, quae typis expressa est in Aufrechtii catalogo, satis perspicuum esse puto Nârâyaṇam non fuisse eundem atque Vidyâvinodâcâryam, sed Vidyâvinodam fuisse auctorem grammaticae, quam disjectam a malo homine denuo disposuit Nârâyaṇa. In medio opere in fine primi paricchedae subscriptio exstat: iti çrîvidyâvinodâcâryakṛtau prâkṛtapâde e. q. s., in fine ultimi paricchedae: iti çrîvidyâvinodâcâryabhaṭṭâcâryakṛtau prâkṛtapâde e. q. s. Utut est, haec grammatica vix commemoratione est digna; novi nihil in ea repperi; auctor Vararucis grammaticam non ita modeste expilavit. Mentionem facit Vidyâvinodae cujusdam Leyden, eumque Prâkṛtakâmadhenus auctorem perhibet (cfr. Lassen: Inst. Prâcr. p. 9); opus nostrum nomen habet: Prâkṛtapâda. Lassen et Kâmadhenum et Prâkṛtalañkeçvaram (cfr. Colebrooke Miscellaneous Essays II, 48) in bibliothecam mercatorum Indicorum una cum ceteris Leydenii libris migrasse suspicatur. At neque

horum operum nec Laxmîdharae Shaḍbhâshâcandrikae (Lassen l. l. p. 11) ullum repperi vestigium, quamquam Rostii insigni liberalitate aditus ad omnes codices mihi erat concessus. At alius codex qui ex bibliotheca Leydenii in Curiam Indicam est allatus in manus meas venit. Numero 2857 insignitus est et lexicon Prâcriticum continet. Scriptus est litteris Bengalicis; pauca vocabula initio singularum litterarum Devanagarice scripta sunt. Credo equidem hoc lexicon Leydenii jussu a Paṇḍita nescio quo esse compositum. Ordine alphabetico complectitur non solum omnia fere vocabula quae in Hemacandrae grammatica Prâcritica exstant, sed etiam largam vocabulorum copiam ex Piñgala et septem libris Jainarum collectam. Jainarum librorum nomina sunt: Kalpasiddhânta, Xetrasamâsaṭîkâ, Meghakumâracarita, Munipaticaritra, Saṃgrahaṇîratna, Uttarâdhyayanasûtra, Karmagrantha. Codex nitide admodum scriptus est et satis amplam materiam praebet ad cognitionem linguae Jainarum. Laudo hoc opus sub nomine lexici Leydeniani. Praeter hunc codicem ex ejusdem viri docti bibliotheca alius adservatur Londini, qui fragmentum continet Abhidhânappadîpikae, id quod commemoro, quia fortasse unicus codex est, qui litteris Bengalicis scriptus Pâlicum opus comprehendit.

Accedit ad numerum grammaticorum Prâcriticorum Candraçekhara Viçvanâthae Sâhityadarpaṇae auctoris pater, quem composuisse opus nomine Bhâshârṇava, in quo singulas dialectos Prâcriticas tractaverit, filius testatur. Sâhityadarpaṇa ed. Roer p. 174, l. 2: bhâshâlaxaṇâni mama tâtapâdânâṃ bhâshârṇave (scil. boddhavyâni). Böhtlingk s. v. Candraçekhara negat Viçvanâthae patris nomen fuisse Candraçekharam putatque regem sic appellatum fuisse cujus a consiliis ille fuerit. Contra Ballantyne in versione sua Sâhityadarpaṇae Candraçekharam fuisse patrem Viçvanâthae existimat, quem secutus est Aufrecht Catalog. p. 214 b. Verba de quibus agitur sunt Sâhityad. p. 18,

16—18: // yathâ mama tâtapâdânâṃ mahâpâtracaturḍaçabhâshâvilâsinîbhujangamahâkavîçvaraçrîcandraçekharasândhivigrahikâṇâṃ // quibuscum conferas quae de se ipso praedicat Viçvanâtha p. 8, 12. 13. Jam si respicis Sâhityadarpaṇam 7, 7. 8: yathâ mahâpâtrarâghavânandasândhivigrahikâṇâṃ et Sâhityad. p. 277, 19: râghavânandamahâpâtrâs tu vaisâdṛçyât smṛtim api smaraṇâlankâram icchanti, vides Viçvanâtham priore loco dicere mahâpâtrarâghavânanda, altero loco râghavânandamahâpâtrâs. Nemo opinor dubitabit, quin utroque loco de eodem viro verba fiant et quin Râghavânanda non sit nomen regis a cujus consiliis poeta fuit, sed nomen poetae ipsius, id quod confirmatur loco Sâhityadarpaṇae p. 49, 1: yathâ râghavânandânâṃ nâṭake. Quod si ita est, sequitur sândhivigrahikam alium esse titulum ejusdem viri, qui titulum mahâpâtra quodammodo explicet et artius definiat. Idem igitur statuendum est de Viçvanâthae patre. Deinde mirum esset et prorsus contra morem Indorum, si Viçvanâtha hac occasione data nomen patris sui reticuisset; numerum pluralem effecisse credo, ut nomen proprium non collocaretur in fine sententiae. Neque video, quomodo Böhtlingk interpretari possit Sâhityad. p. 346, 12 sq. Quo loco mea quidem opinione omnis dubitatio removetur. Accedit quod maxime probabile est regis nomen fuisse Bhânudevam, ut recte monuit Aufrecht. Etenim p. 18, 19 sq. p. 19, 1. p. 103, 3 sq. Viçvanâthae pater teste filio sub imagine umâvallabhae regem Bhânudevam celebravit, cujus uxori nomen fuit Umâ, id quod rege vivo eum fecisse vix est quod neges. Itaque Viçvanâthae patris nomen fuisse Candraçekharam censeo. Composuisse Candraçekharam drama quoddam Pushpamâlâ discimus ex Sâhityadarpaṇa 128, 12. Jam exoritur quaestio, num hic Candraçekhara idem sit atque Çâkuntali commentator. Si fabulis delectaris relego te ad Monier Williamsium, qui quamquam commentario Candraçekharae usus est, falsissimam et levissimam de eo profert opinionem. (Çâk.

p. XIII.) Böhtlingk cui aditus ad Candraçekharae commentarium erat praeclusus, fieri posse dicit, ut Candraçekhara scholiasta idem fuerit atque Viçvanâthae pater. M. Williams, cui Candraçekharae commentarius erat in manibus, solito suo more Böhtlingkii verba iterat. Jam mecum inspice commentarium ipsum. Ad Çâk. 32, 2 haec habet: tad bhaved apavâritaṃ rahasyaṃ tu yad anyasya parâvṛttya prakâçyata iti darpaṇaḥ; locus est ex Sâhityadarpaṇa 425. Ad 65, 8: darpaṇakâras tu na cumbitaṃ tv iti paṭhitvâ tu iti nipâtasyânutâpavyañjakatvam ity âha; locus est ex Sâhityad. p. 111, 16. 17. Ad Çâk. 92, 3 darpaṇakâreṇa tu navîkṛtapâṭhântareṇa padyam idam udâhṛtaṃ et nunc sequitur Sâhityad. p. 228, 3. 4. Vides igitur quam accurate Williams hunc commentarium examinaverit; patrem filii opus tali modo laudasse quis est qui credat? Candraçekharae Viçvanâthae patris aetatem bene novimus, si recte affirmat Jaganmohanaçarman Sâhityadarpaṇam compositum esse anno 1444.[1]) Çâkuntali scholiasta regis Candraçekharae nescio cujus aetate floruisse videtur, cum commentarium sic praefatus sit:

// çrîcandraçekharapadâmburuhe mahendraçrîcandraçekharakṛtâvanatî praṇamya / çrîcandraçekharakṛtî vitanoti vṛttiṃ çâkuntalasya vilasattanucittavṛttiṃ //

„Prudens Candraçekhara veneratus lotos pedum Çrîcandraçekharae (Çivae), quos adorat princeps Çrîcandraçekhara (ad verbum: quibus inclinatio fit a principe Candraçekhara), componit commentarium Çâkuntali, qui exhilarat corpus et animum“ (ad verbum: „qui habet modum gaudentis corporis et animi“; de voce vṛtti cfr. dissertationem meam de Çâkuntali recensionibus p. 56). Concludendum videtur in vita tum fuisse regem ita commemoratum, nisi credere mavis Candraçekharam nominum simili-

[1]) Cfr. Weber: Zeitschrift der deutschen morg. gesell. 26, p. 737. annot. 2.

tudinis caussa elegisse hunc potissimum principem, id quod mihi non verisimile videtur. Scholiastae patris nomen fuit Vishṇu Paṇḍita, filius ipse cognomen habuit cakravartî, — ut Gopâla et Nârâyaṇa scholiastae B. R. s. v. — commentarii nomen est jñânasandarbhadîpikâ, ut discimus ex fine commentarii: iti mahâmahopâdhyâyaçrî-vishṇupaṇḍitatanûjaçrîcandraçekharacakravarttikṛtâv abhijñânaçakuntalaṭîkâyâṃ jñânasandarbhadîpikâyâṃ saptamâṅkavivaraṇaṃ samâptaṃ. Est autem Candraçekhara unus ex optimis omnium scholiastarum Indicorum quicunque innotuerunt. Cum in hoc commentario decreta Prâcritica exstent, quae in nulla grammatica Prâcritica repperi, necessarium est in eo paullo diutius morari. Ad Çâk. 16, 1 opus quoddam Prâkṛtasâhityaratnâkaram commemorat, ex quo adfert: haddhîty avyayaṃ kheda iti prâkṛtasâhityaratnâkaraḥ; ad Çâk. 13, 6 idem opus brevius Sâhityaratnâkaram appellat: kkhu çabdaḥ khalvartha iti sâhityaratnâkaraḥ. Vidi equidem cum Londini versarer librum typis Telinganis expressum cui nomen erat Sâhityaratnâkaraḥ; erat de arte rhetorica; nescio num ex eo hauserit Candraçekhara. Ad Çâk. 12, 8 habet: dṛçeḥ pulaapechaniahâ (sic!) iti prâkṛtasûtraṃ (cfr. Cowell Vararuci p. 173); ad Çâk. 20, 5. 32, 9 ittakaçabdo matvarthaḥ; ad 29, 12 athaçabdaḥ prâkṛte paxântare; ad 31, 6 bhattârake bhaṭṭeti b h â s h â b h e d a ḥ. Bhâshâbheda videtur esse nomen libri grammatici de singulis dialectis Prâcriticis tractantis; p. 52, 11 huttaçabdaḥ prâkṛte s bhimukhe vartate. Idem docemur glossa quadam codicis Z Çâkuntali; est codex Bengalicus optimus. Duo sunt vocabula Prâcritica hutta, quae distincte sunt internoscenda. Hemacandra II, 158 utrumque commemorat itemque Trivikrama II, 1, 16 cfr. Vararuci ed. Cowell p. 36, 1. p. 102. Vox hutta quae est in saahutta, sahassahutta, in lingua Jainarum est khutta (Weber Bhagavatî p. 411, 13) sive puhutta (p. 427, 17; cfr. p. 200 ann. 1); Pâlice sonat khattuṃ Kaccâyana VIII, 23. Est Sanscritum kṛtvas. Vox hutta

quae significat abhimukha a participio hûta „vocatus“ videtur derivanda. Hemacandra II, 99 in commentario decreti // sevâdau vâ // quoḍ respondet ad decretum Vararucis III, 58 et alia exempla exhibet et huttaṃ, cujus alteram formam statuit hûaṃ quodque interpretatur voce hûta. Ex significatione „vocatus ad“ facile oritur significatio „versus ad“ „directus ad“.

Weber quidem (Hâla p. 23) hunta et parâhunta legendum esse censet et in versu 249 parâhunte corrigit pro codicis lectione parâhutte. At nihil mutandum est; Hemacandra disertis verbis eandem formam utriusque vocis praecipit. Deinde vox hutta codicibus Bengalicis et Drâviḍicis confirmatur, qui nunquam tradunt hunta. Etenim hoc vocabulum restituendum est Çâk. p. 52, 11, ubi Chézy quidem edidit: tua hatthamaṇorahâiṃ aṅgâiṃ, at codices I N Z, qui sunt Bengalici et Candraçekhara commentator Bengalicus habent tuha huttamaṇorahâiṃ (Candr. recte °hâi) aṃgâiṃ. Codicum Drâviḍianorum solus V, qui est literis Malayâlicis scriptus, et Abhirâma cujus commentarius est literis Granthicis exaratus hutta exhibent; ceteri codices Granthici et Telingani jutta habent. Vix est quod moneam codicum Devanagaricorum ne unum quidem veram lectionem retinuisse; codices pessimi omnes vutta praebent. Recte igitur jam Garrez[1]) codicis lectionem tuitus est. Idem recte monuit cea et cia esse scribendum, non vea et via. Codices Drâviḍici, imprimis Telingani, in quibus error fieri non potest, semper cea et cia exhibent et sic legimus non solum in optimo Hemacandrae codice sed etiam in Trivikramae, Siṃharâjae, Mârkaṇḍeyae grammaticis, sic denique jam viginti tribus annis abhinc Stenzler rectissime edidit: Mṛcchak. 36, 16 jâva ccia . . . . tâva ccia p. 104, 2 maha ccia. Non audiendus igitur est Weber.[2]) Monuit autem Garrez has voculas

---

[1]) Journal Asiatique 1872, Aout-Septembre p. 212 ann. 1.

[2]) Z. D. M. G. 26, p. 741 sq. Cfr. nunc Paul Goldschmidt l. l. p. 78. 79.

in hodierna quoque Mahrattorum lingua occurrere, id quod statim quaestionem disceptat. Liceat mihi alium errorem corrigere. Weber enim Hâla v. 62 vocem pâñi edidit, quam miro modo Böhtlingk in addenda lexici Petropolitani recepit. Scribendum est pâḍî, ut docet codex Telinganus Curiae Indicae; est Mahrattorum vocabulum pâḍî „a female calf". Ad Çâk. 86, 3 Candraçekhara annotat: cakkâo cakravâke syâd iti deçî. Hemacandra I, 8 et ipse vocabulum cakkâo commemorat neque dubito quin in deçîkosham suum id receperit. Nec tamen Candraçekharam inde sumpsisse hoc decretum existimo; nam ex eis quae nuper publici juris fecit Bühler, patet deçîkosham non esse compositum versibus; supra autem versum habemus. Jam Pṛthvîdhara ad Mṛcch. p. 14, 5 (p. 244 ed. Stenzler) deçîprakâçam quendam laudat, quem versibus conscriptum fuisse liquet: kâṇelî kanyakâ mâteti deçîprakâçaḥ. Nihil obstat quominus ex eodem fonte Candraçekharam quoque hausisse putemus. Ad Çâk. 94, 8 kerakaçabdaḥ prâkṛte âtmîye vartate. De hac voce disputavi in Indian Antiquary II, p. 121—123. Quae desiderantur, mox ibidem reperies; cfr. etiam Haag: vergleichung des Prâkrit mit den romanischen sprachen p. 24. Nostro loco codicum Bengalicorum unus Candraçekharae codex genuinam lectionem retinuit; codicum Drâviḍicorum tres L V F; codicum Devanagaricorum iterum ne unus quidem vel vestigium verae lectionis continet. Idem vocabulum restituendum est Çâk. 152, 12, ubi post isikumâraassa inserendum est kerako et p. 158, 3, ubi post ko vi addenda est vox parakerao. Ad Çâk. p. 101, 1 itthîçabdaḥ striyâṃ deçî. Miratur Siegfried Goldschmidt[1]) vocabulum itthî in Hâlae versibus non exstare. At scimus ex Vararuce XII, 22 hanc vocem in versibus non posse usurpari, sed sermonis pedestris esse propriam. Noli objicere Mṛcch. 112, 6

---

[1]) Z. D. M. G. 26, p. 745.

vocem itthia in versu occurrere; nam Vararucis de gâthis agit lingua Mahârâshṭrica compositis, qualia sunt Hâlae carmina; versus autem ille Mṛcchakaṭikae non magis gâthâ est, quam Sanscritici quidam qui versus fecere ob eam rem in poetarum Germanorum numero sunt habendi. Attamen in versu quodam versificatoris Viçvanâthae Sâhityadarpaṇa 178, 2. 3 vox itthiâ exstat; in priore parte versus scribendum est gheppaï, in altera. tahâvi; metrum est udgîti. In Lalitavistarae gâthis vocabula istrî, istri non raro occurrunt e. g. 84, 12. 91, 11. Ad Çâk. p. 111, 4 vâtanaçabda îçvare deçî; nescio quid legerit Candraçekhara; codices reliqui omnes aut lâutte aut âvutte exhibent. Ad p. 155, 9 ajjukâçabdo mâtari deçîya iti çaṅkaraḥ. Candraçekhara ipse vocem ajjukâ vertit: âryâ mâtâ. In Mṛcchakaṭikâ ancillae hoc vocabulo Vasantasenam alloqui solent. Ad p. 157, 9 âsaṅghaçabdaḥ prâkṛte âçvâsârthaḥ. Vide supra p. 5. 6. Haec fere sunt quae hoc loco e Candraçekharae commentario commemoranda videntur; alia quae nimis longam disputationem requirunt et cum quaestione illa de recensionibus Çâkuntali cohaerent, hoc loco omitto. — Vâmanâcâryam quoque auctorem fuisse grammaticae Prâcriticae, cui nomen erat Prâkṛtacandrikâ, discimus ex Aufrechtii catalogo no. 460. Bhaṭṭikâvyae scholiastae Jayamaṅgala et imprimis Bengalus Bharatamallika praeter Vararucis et Hemacandrae grammaticas decreta quaedam laudant quae unde sumpta sint nescio. Vol. II, p. 80, 18. p. 106, 8. 9. 14. p. 113, 3. Expecto editorem criticum.

Jam ad Hemacandram perveni. Cum Hemacandrae grammaticam Prâcriticam quam brevissime fieri potest publici juris facere in animo habeam, nolo hoc loco multis de eo agere. Nam si ad ea quae jam disseruerunt Cowell (Vararuci p. XI sq.) Aufrecht (Catalog. p. 179 sq.) Weber (Bhagavatî I, 392 sq.) plura addendi periculum facere vellem, nescirem mehercle unde initium faciendum, ubi finis ponendus esset. Ejusdem viri exstare Deçîçabda-

saṅgrahaṃ edocti sumus a Bühlero (Indian Antiquary January 1873). Supra (p. 25) aliud ejusmodi opus commemoravi.

Hemacandrae grammatica, qua nulla est majoris momenti, usi sunt grammatici Prâcritici australis Indiae, quorum opera literis Drâviḍicis sunt exarata. In primo loco collocandus est Trivikramadeva. Codex qui Trivikramae grammaticam continet scriptus est literis Granthicis. Est codex papyraceus admodum recens, Burnellii jussu ex codice antiquiore transcriptus. Est octogesimus quartus collectionis Burnellianae; paginas continet 304, 4⁰. Est nunc in Curia Indica; lacunis refertus est, quae praecipue in ultima grammaticae parte tam frequentes sunt, ut saepe fieri non possit, ut sensum elicias. Prior pars exceptis primis paginis satis accurata est; contra altera pars quae est de dialectis inferioribus multis gravissimisque vitiis est inquinata, quod eo magis dolendum est, quod haec potissimum pars ad Hemacandrae regulas illustrandas esset utilissima, si accuratius esset descripta. Codex saepe est difficilis ad legendum. Dividitur autem grammatica in tres adhyâyâs; singuli adhyâyae quatuor pâdâs continent. Jam supra monui Trivikramam vṛttim solam composuisse nec perspicuum esse quis vyâkaraṇae auctor fuerit. Quod ut probem simulque de Trivikramae gente quae dici possunt proferam, praefationem exhibebo. Invocato sole Trivikrama pergit:

Çrutabhartur [1]) arhananditraividyamuneḥ padâṃbujabhramaraḥ
çrîBâṇasukulakamaladyumaṇer Âdityavarhmaṇaḥ pautraḥ
çrîMallanâthaputro laxmîgarbhâmṛtâṃbudhisudhâṃçuḥ
Bhâmasya vṛttavidyâdhâmno bhrâtâ Trivikramas sukaviḥ

[1]) Cd. çrita⁰

çrîVîrasenaJinasenâryâdivacaḥpayodhipûrât katicit prâkṛtapadaratnâni prakṛtikṛtî sukṛtibhûshaṇâya cinoti.

„Apis loti pedum Çrutabhartṛis vatis qui honestos delectat et trium Vedarum peritus est, nepos Âdityavarhmaṇis, qui est (erat) sol nelumbii boni generis Bâṇae, filius Mallanâthae, radius nectaris oceani ambrosiae ex quo Laxmî procreata est, frater Bhâmae qui est domicilium artis metricae, bonus poeta Trivikrama a natura prudens, colligit gemmas nonnullas verborum Prâcriticorum ex copia oceani verborum Vîrasenae Jinasenae aliorum ad decorationem boni sui operis.“ Pro codicis Çritabhartur scripsi Çrutabhartur quod nomen esse autumo praeceptoris Trivikramae. Etenim in fine primi pâdae primi adhyâyae legimus: iti çrîmadarhananditraividyadevaçṛtadharaçrîpâdaprasâdâsâditasamastavidyâprabhâvaçrî-mattrivikramadevaviracitaprâkṛtavyâkaraṇavṛttau prathamasyâdhyâyasya prathamaḥ pâdaḥ; in fine primi pâdae tertii adhyâyae pro çṛtadhara (sic) exstat çrutadhana (sic) unde çrutadhara legendum esse conjicio, quod est nomen poetae cujusdam (B. R. s. v.). Jam vox „bhartar“ primitiva vi significat eum qui fert, ut bhartar idem sit atque dhara; hinc „çrutadhara“ vocem a Trivikrama metri caussa voce „çrutabhartar“ redditam esse censeo, cum genetivus çrutadharasya ad metrum non esset aptus. Pro codicis Mallanâtha non necessarium videtur corrigere Mallinâtha. Scimus Trivikramadevam quendam opus composuisse de usu et vi medica metallorum et fossilium (Weber Catalog. no. 974 cfr. Aufrecht Catalog. no. 762). Non est probabile hunc eundem esse atque grammaticum nostrum. Incertum remanet, num idem sit atque Pañcâyudhaprapañcae dramatis auctor (Hall Daçarûpa p. 30); a Trivikramabhaṭṭa Damayantîkathae auctore est diversissimus. Vîrasena et Jinasena poetae Prâcritici fuisse videntur; nam de grammaticis cogitare Trivikramae verba nos vetant. Pergit Trivikrama:

analpârthas sukhoccâraç çabdas sâhityajîvitaṃ
sa ca prâkṛtam eveti mataṃ sûtrânuvartinâṃ
prâkṛtaṃ tatsamaṃ deçyaṃ tadbhavaṃ cety adhas tridhâ
tatsamaṃ saṃskṛtasamaṃ neyaṃ saṃskṛtalaxmaṇâ
deçyam ârshaṃ ca rûḍhatvât svatantratvâc ca bhûyasâ
laxma nâpexate tasya saṃpradâyo hi bodhakaḥ
prakṛtes saṃskṛtât sâdhyamânât siddhâc ca yad bhavet
prâkṛtasyâsya laxmânurodhi laxma pracaxmahe
prâkṛtapadârthasârthaprâptyai nijasûtramârgam anujigamishatâṃ
vṛttir yathârthasiddhyai trivikrameṇâgamakramât kriyate
tadbhavatatsamadeçyaprâkṛtarûpâṇi paçyatâṃ vidushâṃ
darpaṇati yeyam avanau vṛttis traivikramî jayati
prâkṛtarûpâṇi yathâ prâcyair âhemacandrâryât
vivṛtâni tathâ tâni pratibimbantîha sarvâṇi

„Verbum in quo multiplex vis inest quodque facile est ad pronunciandum, compositionum vita est, idque Prâcritum existimatur ab eis qui decretorum rationem habent. Prâcritum illud triplex est: tatsamaṃ, tadbhavaṃ, deçyaṃ. tatsamam „idem atque id" i. e. idem atque Sanscritum constituendum est nota Sanscriti (i. e. iisdem atque Sanscritum regulis). Deçyam et ârsham (Jainarum lingua) notam (regulas) ejus (Sanscriti) non requirunt, quia ex se provenerunt[1]) et suas ipsorum regulas sequi solent. Traditio enim praeceptrix est. Nos pronunciabimus notam quae respicit notam ejus Prâcriti quod exoritur e radice (quae est) Sanscritum, quod (regulis grammaticis)

[1]) A Sanscrito non sunt derivata. Cfr. etiam B. R. s. v. ruh 6 et s. v. yaugika.

perficitur et perfectum est. Qui ad obtinendam copiam sententiae verborum Prâcriticorum (i. e. ad cognoscendam variam vim verborum Prâcriticorum) suam ipsorum viam ingredi cupiunt, in eorum usum a Trivikrama conficitur commentarius secundum ordinem traditionis, ut quae volunt assequantur. Salvus sit commentarius Trivikramae, qui in mundo est speculum peritorum quibus curae sunt formae Prâcriti, tadbhava, tatsama, deçya. Formae Prâcriticae ut a veteribus usque ad Hemacandram explicatae sunt, sic hae omnes in hoc opere ut in speculo cernuntur."

Verba darpaṇati et pratibimbanti novo modo formata sunt. Omnes posterioris aetatis [1]) grammatici Prâcritici tres classes verborum dialectorum Prâcriticarum statuunt: tatsama i. e. vocabula mere Sanscritica, tadbhava i. e. vocabula quae Prâcritice e Sanscrito derivata sunt, deçya quae ex vocabulis Sanscriticis derivari non possunt (cfr. Beames: Comparative Grammar of the modern Aryan Languages of India p. 11 sq.; quae profert Growse: Indian Antiquary I, p. 103—106 commemoratione non sunt digna). Nescio unde orta sit opinio eorum qui deçî-verba non-Arya esse affirmant. Grammatici nihil tale docent; deçî-verba, quorum magnum numerum in medio opere adfert Trivikrama ex sermone populari a poetis in carmina admissa sunt; longe plurima pars speciem Aryanismi vel maxime prae se fert. Optime de hac re disseruit Beames (Comp. grammar p. 23 sq.) qui et in hac quaestione et in quaestione quae est de natura et origine dialectorum Prâcriticarum *οἷος πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.* Linguae Prâcriticae sunt linguae artificiosae, quas poetae erotici invenerunt quo tempore linguae Sanscritae, quae daivî vâk perhibetur, sanctitate vetabantur

[1]) Qui sint illi „earliest native grammarians" de quibus verba facit Growse: Indian Antiquary I, p. 104 a me latet.

ea in ejusmodi carminibus uti. Govardhana se primum periculum fecisse ait Musam (vâṇîm) e Prâcrito in Sanscritum vi adhibita deducendi (Weber Hâla p. 9). Dialecti Prâcriticae praecipue consistunt ex tadbhavis, quae aut sâdhyamânasaṃskṛtabhava sunt aut siddhasaṃskṛtabhava i. e. aut „early tadbhava pronounced by ear" aut „late tadbhava spoken by eye": Beames Indian Antiquary I, 138. Comp. gr. I, 13—17. Omnia fere „early tadbhava" in linguis Prâcriticis novam subierunt mutationem: ad normam linguae Sanscritae a poetis sunt deformata simili modo atque Kumârilabhaṭṭa verba Drâviḍica reddidit Sanscritica (Burnell Ind. Antiq. I, 310). Merum sermonem popularem adhibere superbia Indica vetabat. Credunt quidem omnium linguarum Prâcriticarum antiquissimam esse linguam Mahârâshṭricam, qualis est in Hâlae carminibus. Contemplare, quaeso, mecum hanc unam sententiam, quam ex Hemacandra IV, 396 sumo. Sanscritice est: çapathaṃ kṛtvâ kathitaṃ mayâ; in lingua Paiçâcica est: sapathaṃ karitûna kathitaṃ mae; in lingua Apabhrañçica: sabadhu kareppiṇu kadhidu maï"; in lingua Çaurasenica: savadhaṃ kadua kadhidaṃ mae; in lingua Mahârâshṭrica Hâlae denique est: saahaṃ karia kahiaṃ mae. Vel caecus videt hanc linguam Mahârâshṭricam omnium esse recentissimam. Non est judicandum ex lingua Apabhrañçica qualis exstat in quarto Urvaçiae actu et in Piñgalae libro de arte metrica. Hic Apabhrañça est Apabhrañça nâgara sive poeticus; sed Mârkaṇḍeya nos docet praeter hunc fuisse Apabhrañçâs innumerabiles, quos ne Sarasvatî quidem enumerare posset. Dialectus Apabhrañçica ex qua lingua Sindhica originem ducit est vrâcaḍa Apabhrañça, ut disertis verbis statuit Mârkaṇḍeya fol. 67 b; Ravikara in commentario ad Piñgalam (p. 527 Urv. ed. Bollensen) formas Apabhrañçicas eha je ex vârendrîbhâshâ esse dicit; est autem Vârendra pars Bengaliae. Quaestio longior est et difficilior, quam quae a me hoc loco possit disceptari; nonnulla quae huc pertinent nuper exposui in Academia

1873 p. 397 sq. Errant qui ex linguis Prâcriticis minus aut magis depravatis aliquid de dramatum auctorum aetate conjicere volunt. Dependebat ex sola voluntate scriptoris et ex personarum quas in scenam produxit moribus et ingenio, quas dialectos in drama admittere quas omittere vellet. Mṛcchakaṭikâ quamquam in ea insunt plurimae dialecti Apabhrañçicae, certe non solum optimum est, sed etiam antiquissimum omnium dramatum Indicorum quae ad nos pervenerunt. Linguae Paiçâcicae et Apabhrañçicae multo magis quam lingua Mahârâshṭrica nos docent, qui fuerit olim sermo popularis Indiae. Weber (Ind. streifen II, 56) linguam Paiçâcicam artificiosam esse censet; aliis locis linguam Hâlae tuetur. Non nego linguam Paiçâcicam quoque a poetis immutatam et usui eorum magis adaptatam esse; nihilominus haec lingua multo majorem antiquitatis speciem prae se fert quam lingua Mahârâshṭrica et nihil obstat, quominus credamus a rusticis Indicis olim usurpatam esse linguam Paiçâcicae simillimam. Quae opinio confirmatur eo quod Bṛhatkathâm in hac lingua scriptam esse scimus. Nemo opinor post Bühleri doctam de Xemendrae Bṛhatkathâ dissertationem (Indian Antiquary I, p. 302 sq.) dubitabit, quin Bṛhatkathâ re vera lingua Paiçâcica fuerit composita. Bhojadeva (MS. Wilson 246 fol. 33 b) quo loco de bhâshâçlesha agit (cfr. Sâhityadarpaṇa 642 et tertium decimum Bhaṭṭikâvyae librum) exemplum adfert, quod non minus recte pro lingua Sanscrita quam pro bhûtabhâshâ accipi posse dicit. // tatra bhûtabhâshâyâṃ yathâ // ruciraṃ jitârihetiṃ janamitaṃ sâmakâyaṃ akalaṅkaṃ santaṃ amitaṃ ca mânaya kamalâsanam abhi virâjantaṃ. Commentarius est: ruciraṃ manoharaṃ / jitârihetiṃ bhagnasapatnâyudhaṃ / janair namitaṃ / çyâmakâyam / akalaṅkaṃ / çântaṃ çântarûpaṃ / amitam anantaṃ / caḥ samuccaye / kamalâsanaṃ brahmâṇaṃ / abhi laxîkṛtya / virâjantaṃ çobhamânaṃ / mânaya pûjayeti. / Eadem verba si aliter distinguuntur Sanscritica sunt et plane alium sensum

efficiunt. Jam primo aspectu statim intelleges hanc bhûtabhâshâm esse linguam Paiçâcicam; nam, ut reliqua omnia omittam, nulla alia dialectus Prâcritica est, quae simplicem literam n dentalem in media voce retineat, id quod facit lingua Paiçâcica. Omnes praeterea regulae in hoc exemplo occurrunt, quae a grammaticis de lingua Paiçâcica praecipiuntur. Jam cum sciamus ex Daṇḍinis testimonio (Ḳâvyâdarça I, 38) Bṛhatkathâm in bhûtabhâshâ esse compositam, inquirendum est, utrum in grammaticis Prâcriticis ullum vestigium Bṛhatkathae inveniatur necne. Credo autem Hemacandram in capite, quod est de lingua Paiçâcica, exempla omnia ex ipsa Bṛhatkathâ sumpsisse; nam si fragmenta singula justo ordine disponimus, fabula quaedam narrari videtur. Sunt autem fragmenta longiora, quae exstant apud Hemacandram IV, 303—324 haec fere: taṃ taṭṭhûna ciṃtitaṃ raññâ kâ esâ huveyya / (r. 320) adha sasarîro bhagavaṃ makaraddhajo ettha paribbhamaṃto huveyya / evaṃvidhâe bhagavatîe kadhaṃ tâpasavesagahanaṃ kataṃ (r. 323) / evaṃ ciṃtayanto gato so tâe samîpaṃ / (r. 322) tâva ca tîe tûrâto yyeva tiṭṭho so âgacchamâno râjâ (r. 323) pûjito ca nâe pâtaggakusumappatânena / (r. 322) puthumataṃsane hi savvassa yyeva sammânaṃ kîrate (r. 316). „Rex cum hanc vidisset, consideravit quaenam ea esset. Num sanctus Amor humano corpore praeditus ibi vagetur? A tali praeclara femina cur anachoretarum vestis induta est? Sic cogitans in ejus propinquitatem ivit. Interim rex adveniens ab ea ex longinquo conspectus est atque ab ea dono recentium florum honoratus est. Primo enim conspectu uniuscujusque honor fit.“ Inserui solam particulam „hi“, reliqua non sunt mutata. Praeterea in decreto 324 nomen proprium Vijayasena obvium est quod in Kathâsaritsâgara 104, 25 sq. occurrit. Minime dubito, quin haec sint fragmenta Guṇâḍhyae Bṛhatkathae. Intercedit autem mira quaedam similitudo inter linguam Paiçâcicam et linguam Pâlicam.

Revertor ad Trivikramam. Jam supra monui australis Indiae grammaticos terminologia uti quae cum Pâṇinis terminologia artissime cohaereat, unde hae grammaticae speciem quandam doctrinae prae se ferunt et brevitati maximopere consulunt. Simplicitas linguae Prâcriticae parvum tantummodo numerum terminorum requirit; et Trivikrama et Siṃharâja grammaticis suis pratyâhârâs, quos in operibus suis adhibent, praefixerunt. Jam cum sine tabula illa regulae ipsae non possint intellegi, sed in editione mea Hemacandrae perpetuo mihi recurrendum sit ad grammaticas illas, tabulam hoc loco una cum paribhâshâvibhâga exhibebo, qualis exstat in Trivikramae grammatica, cum uncis includam quae ex Siṃharâjae opere ad explendas lacunas codicis Trivikramae sumo; addam autem Siṃharâjae quoque verba, quando a Trivikramae verbis vel paullulum differunt.

Trivikrama I, 1, 1—16.

1. // siddhir lokâc ca. //

siddhir iha prastutâ prâkṛtasambandhinî parigṛhyate sâ ca lokâd bhavati / yasmât ṛvarṇa[ḷṛvarṇâbhyâṃ ai]-kâraukârâbhyâṃ asa[ṃ]yuktaṅakârañakârâbhyâṃ çashâbhyâṃ dvivacanâdivirahitaçabdoccâro lokavyavahârâd evopalabhyate deçyâç ca çabdâḥ[1]) / tasmât siddhir lokâd iti veditavyaṃ / cakârâd vaxyamâṇâl laxaṇâd anekântâc ca / bahulagrahaṇâd ity arthaḥ. //

Siṃharâja: prâkṛtaçabdasiddhir lokâd bhavati ṛḷṛvarṇâbhyâṃ aikâraukârâbhyâṃ asaṃyuktaṅañakârâbhyâṃ dvivacanena ca virahitasya çabdoccârasya deçyânâṃ ca lokavyavahârâd evopalabhyamânatvât / cakârâd vaxyamâṇâl laxaṇâd anekântâc ca. / anekântatvaṃ bahulâdhikâratvât / ata eva tattadâdeçamukhena ṛḷṛvarṇâdyaprayogasaṃpâdakeshu ṛto ṡ t (Triv. I, 2, 73) aica eñ (Triv.

---

[1]) Cod. çabdadâ cum lacuna insequente. Nihil fortasse deest. Leves errores codicis tacite correxi.

I, 2, 101) ity âdishu çâstreshu satsv api prâkṛtaçabdoccârasya ṛlṛvarṇâdivirahitatve lokavyavahâra eva sâdhakatvenâṃgîkṛtaḥ / anyathâ bahulâdhikârâd ṛlṛvarṇâdînâm aprayogo na niyatas syât.

2. // anuktam anyaçabdânuçâsanavat //

yadiha svarâdisaṃjñâtvena sandhiprabhṛtikâryatvenânuktaṃ tat sarvam anyaçabdânuçâsanavat / Kaumâra-JainendraBrâhmacândraPâṇinîyaprabhṛtishv eshu yad yathoktaṃ tat tathaiveti veditavyaṃ.

Siṃharâja: ihânuktasaṃjñâparibhâshâdi Kaumâra-Pâṇinîyâdishu vyâkaraṇeshu yathoktaṃ tathaiva veditavyaṃ. Omittit igitur Jinendram et Brahmacandram.

3. // saṃjñâ pratyâhâramayî vâ //

iha prâkṛtavyâkaraṇasaṃjñâ pratyâhârarûpâ vyavahriyate. / vâgrahaṇâd vaxyamâṇâc ca punaḥ pratyâhâragrahaṇavyavahâradarçanârthaṃ [1]) / yathâ svaro ऽ c / e o eṅ / ai au aic / vyañjanaṃ hal / svâdis sup / tyâdis tiṅ / ity âdi.

Deçretum deest apud Siṃharâjam.

4. // supsv âdir antyahalâ //

supsu svâdishu vibhaktishv âdir varṇo vacana[ṃ vâ] [2]) antyahalâ antyavyañjanena saha saṃjñâ bhavati / yathâ / su au jas: sus // am auṭ ças: as // evaṃ ṭâs / ṅes / ṅasis / ṅam / adîrghatvât [3]) / pañcamyâṃ ṅas iti vaktavye ṅasis iti [4]) ṅasash shashṭhyekavacanenâsandehârthaṃ [5]) /

[1]) Cod. prâtyâhâragraha — lacuna — yo vyava ° Adhikâraḥ „bahulaṃ" per totam grammaticam vim suam exercet, unde Trivikrama voculam „vâ" etiam hujus potissimum decreti caussa usurpatam esse dicit, non solum eorum caussa quae secuntur.

[2]) Varṇo vocalem significat; vacanaṃ hoc loco consonantem significat; cfr. Siṃharâjam.

[3]) Sic ex conjectura. Cd. dîrgha (sic).

[4]) Scil. ucyata iha vyâkaraṇe.

[5]) Cd. ° vacana — lacuna — âsand °

Simharâja: svâdishu vibhaktishu âdir varṇo vacanaṃ vâ antyahalâ saha saṃjñâ syât / âdiç ca varṇas savyañjano nirvyañjano vâ / yathâ su au jas: sus / am auṭ ças: as / evaṃ / ṭâs / ñes / ñasis / ñam / ñip / lâghavâd asukhoccâraṇâbhâvâc ca // ñas iti vaktavye ñasis iti tu vacanaṃ[1]) ñasâ shashṭhyekavacanena sandeho mâ bhûd iti.

5. // ho hrasvaḥ //

ekamâtro yo varṇo hrasva iti prasiddhaḥ tasya ha iti saṃjñâ.

6. // dir dîrghaḥ //

yo dvimâtro varṇo dîrgha iti rûḍhas tasya dir iti saṃjñâ.

7. // çashasâç çuḥ //

çasha[sâ] ity ete varṇâç çusaṃjñakâ bhavanti.

8. // sas samâsaḥ //

samâsaḥ sasaṃjñako bhavati.

9. // âdiḥ khuḥ //

âdir varṇaḥ khusaṃjñako bhavati.

10. // go gaṇaparaḥ //

âdir iti varttate / gaṇapradhâno ya âdiçabdas sa gasaṃjñako bhavati / yathâ guṇâdir ity âdau guṇagaḥ ity âdi.

11. // dvitîyaḥ phuḥ //

çabdasya dvitîyo yo varṇas sa phusaṃjñako bhavati.

12. // saṃyuktaṃ[2]) stuḥ //

vyañjanena yuktaṃ saṃyuktaṃ[3]) / saṃyuktasya stu iti saṃjñâ.

13. // tu vikalpe //

vikalpe vibhâshâyâṃ tuçabdaḥ prayujyate vâçabdav

---

[1]) Scil. ucyata iha vyâkaraṇe.

[2]) Cd. °kta; Simharâja ut supra.

[3]) Om. cd.; Simharâja: saṃyuktaṃ vyañjanaṃ stusaṃjñaṃ syât

14. // prâyo liti na vikalpaḥ //
yaḥ kâryârthaṃ sûtre ऽ nubaddhyate [1]) na tu prayoge dṛçyate sa anubandha iti vyâkaraṇântare laxaṇaṃ / lakâra id yasyâsau liṭ / liti kârye vikalpaḥ prâyo na bhavati.

15. // çiti dîrghaḥ //
çânubandhe kârye sati pûrvasya svarasya dîrgho bhavati / yathâ / çi çluñ na punari tu (Triv. I, 1, 28) atra na punar çabde ऽ ntyavyañjanasya çânubandhayor ikâralopayoḥ pûrvasyâco dîrghaḥ / ṇa uṇâi / ṇa uṇâ / ṇa uṇa / [2])

16. // sânunâsikoccâraṃ ñit //
ñakârânubandhaṃ yat kâryaṃ tat sânunâsikoccâraṃ bhavati / kâmukayamunâcâmuṇḍâtimuktake moñ luk (Triv. I, 3, 11) / kâᵕuo [3]) jaᵕuṇâ [4]) / atra makârasya ñakârânubandhe lope çeshasya svarasya sânunâsika uccâraḥ. /

Sequitur deinde adhikâro: bahulaṃ et inde ab hoc decreto Trivikrama Hemacandrae commentarium impudentissime expilavit. Singula decreta Hemacandrae a Trivikrama vel a vyâkaraṇae auctore potius, saepe paullulum immutata sunt; in commentario interdum nonnulla exempla omissa aut in brevius contracta sunt. Quae audacia Trivikramae eo magis me obstupefacit quod ipse non ita multo recentior est quam Hemacandra. Laudatur enim Trivikrama a Kumârasvâmine Kolacalae Mallinâthae scholiastae illius egregii filio in commentario ad Vidyânâthae Pratâparudrîyaṃ. Typis expressus est commentarius in editione libri illius rhetorici a Paṇḍitis Tiruveṃgaḍa et Râmakṛshṇa Madras 1868 accuratissime et doctissime publici juris facta. Usi sunt editores litteris Telinganis.

---

[1]) Cod. anubaddhate.

[2]) Siṃharâjae commentarius et ad hoc decretum et ad praecedens multo brevior est.

[3]) Cd. kâuṃo.

[4]) Cd. jauṃṇâ.

Kumârasvâmin patre suo, cujus commentariorum mentionem facit p. 127, 23, est dignissimus; commentarius saepe brevis quidem est, sed admodum perspicuus et refertus locis ex libris rarissimis collectis. Hic igitur scholiasta p. 218, 21 haec habet: atra yady api îshadarthe daraçabdo ऽ vyayam iti trivikramaḥ tathâpîshattamatvam atra vivaxitaṃ / tena darapulakito durlaxapulaka ity arthaḥ / Jam Trivikramae sûtraṃ II, 1, 36 est: dara arddhe ऽ lpe vâ, commentarius vero: dara ity avyayam arddhârthe îshadarthe vâ prayojyaṃ / *Dubium igitur non est, quin Trivikrama noster sit intellegendus. Ceterum etiam Hemacandra II, 215 in ipso sûtra voce alpa utitur, in commentario autem vocabulo îshat, ut ex hoc loco non necessario sequatur Trivikramam vṛttim solam composuisse. Laudatur praeterea a Kumârasvâmine Trivikramae grammatica auctore non nominato: p. 201, 21: sare ity atra çasy ed ity etvaṃ; est Triv. II, 2, 20; p. 214, 4 mahipaṭhṭham iti / pṛshṭhe ऽ nuttarapada (Triv. I, 2, 77) iti niyamenetvâbhâvâd ṛto ऽ d (Triv. I, 2, 73) ity atvaṃ / dihau mithas sa (Triv. I, 1, 18) iti mahîkârasya hrasvaḥ. / Hoc igitur loco tres regulae exstant ex Trivikramae grammatica desumptae. Editores ipsi Vararucem laudant secundum Cowellii editionem p. 225, 22. 226, 25. 356, 27. Jam cum Mallinâtha quarto decimo saeculo floruerit, Hemacandra vero duodecimo, Trivikramae aetatem satis accurate pro Indica quidem chronologia definire possumus. Pratâparudram ipsum circa annum 1300 regnasse scimus; hoc igitur tempore Vidyânâtha quoque vixit quippe qui opus illud rhetoricum in Pratâparudrae honorem conscripserit. Böhtlingk in addendis et corrigendis lexici Petropolitani s. v. kâkati hoc nomen esse autumat urbis vel terrae in qua regnaverit Pratâparudra, qua in re errare videtur vir doctissimus. Kumârasvâmin enim p. 9, 19 haec habet: kâkatîyeti / kâkatir nâma durgâçaktir ekaçilânagareçvarâṇâṃ kuladevatâ / sâ çaktir bhajanîyâsyeti kâkatîyaḥ / vṛddhâc

cha (Pâṇini IV, 2, 114) iti çaishikaç chapratyayaḥ. In medio libro kuladevatae illius saepe mentio injicitur neque dubito quin vera sit scholiastae interpretatio, cum constet Pratâparudram regem fuisse Ekaçilae. Rem jam tetigit Burnell Vaṃçabrâhmaṇa p. VII ann., unde disces quaenam urbs sit Ekaçilâ.

Quatuor capita Trivikrama exhibet, quae apud Hemacandram aut plane desunt aut obiter tantum commemorantur. Sunt haec capita I, 3, 106. 4, 122. II, 1, 30. III, 1, 133, quorum similia sunt Hemacandrae: II, 174 et IV, 258. Continent haec capita ea vocabula quae ex regulis antecedentibus explicari non possunt et quae partim sunt vocabula a poetis ficta, partim deçîçabdâḥ. Cum inter Trivikramae exempla occurrat vox anusûyâ, quam etiam in Hemacandrae deçîçabdasaṃgraha inesse nos docuit Bühler, suspicari licet Trivikramam ex hoc opere materiam sumpsisse. Capita illa longiora sunt, quam quae hoc loco possim publici juris facere.

Eodem vyâkaraṇa atque Trivikrama usus est Siṃharâja, cujus grammatica Prâcritica Prâkṛtarûpâvatâra appellata exstat Londini in bibliotheca Societatis Regiae Asiaticae. Duobus usus sum codicibus; alter (A) sub numero 159 adservatur, alter (B) sub numero 57. A continet 74 folia palmea, B est codex papyraceus. Uterque scriptus est litteris Malayâlicis nitide admodum et satis accurate. Est autem B ex A transcriptus; congruunt codices et in lacunis et in vitiis; in utroque desunt folia nonnulla sub finem grammaticae in ea parte quae est de lingua Apabhrañçica. Folia nonnulla palmea codicis A satis antiqui, in margine ita laesa sunt, ut litterae nonnullae perierint. Hae desunt in B quoque et ne ulla dubitatio de fonte codicis B esse posset, librarius numerum foliorum codicis A in margine codicis B addidit. Scriba officio suo religiosissime perfunctus est. — Invocato Gaṇeça Siṃharâja pergit in metro cui nomen est Sragdhara:

setuṃ vyâkhyânarûpaṃ gahanaṃ akṛta yaç çâstra-
sâhityasindhor
buddhyâ baddhvâ yathârthâṃ vyaracayata nijâṃ sin-
dhubandheti saṃjñâṃ
natvâ taṃ yâyajûkaṃ nigamavidhividaṃ tâtam asya
prasâdâd
vyaktaṃ rûpâvatâraṃ viracayati mitaṃ siṃharâṭ prâ-
kṛtîyaṃ.

„Veneratus patrem diligenter immolantem Vedarum et rituum peritum, qui postquam intellegentia sua sub forma commentarii pontem fecit firmum in oceano compositionum et grammaticarum, ei (ponti i. e. commentario) aptum nomen proprium Sindhubandha dedit, ejus clementia Siṃharâja componit perspicuum et brevem Prâcriticum Rûpâvatâraṃ (descensum formarum Prâcriticarum).“ Ex subscriptione quae exstat fol. 46 a, fol. 59 b, fol. 74 a discimus patris nomen fuisse Samudrabandhayajvanem, unde versus praefationis faciles fiunt ad intellegendum. Subscriptio haec est: iti sakalavidyâviçâradasya Samudrabandhayajvanas sûnunâ Siṃharâjanâmadheyena viracite prâkṛtarûpâvatâre et quae secuntur. Siṃharâja autem viam ingressus est diversissimam ab omnibus qui mihi noti sunt grammaticis Prâcriticis. Trivikrama et Siṃharâja nimirum hauserunt ex eodem fonte, sed praeter regulas ipsas et praefationem nihil habent commune neque ullo modo probari potest alterum alterius grammatica esse usum. Siṃharâja initio grammaticae suae deçya excludit: iha prâkṛtaçabdâs tridhâ saṃskṛtasamâs saṃskṛtabhavâ deçyâç ceti. / saṃskṛtabhavâç ca dvidhâ sâdhyamânasaṃskṛtabhavâs siddhasaṃskṛtabhavâç ceti. / tatra deçyavarjitatrividhaprâkṛtaçabdavishayaṃ prâkṛtavyâkaraṇam ârabdhaṃ. Consilium quod sequitur Siṃharâja his verbis indicat: prakriyâṃçasya çâstre vyâkîrṇatvât tatsukhajñânârthaṃ asmâbhir ayaṃ prâkṛtarûpâvatâraḥ prastûyate. „Quia in grammaticis (reliquis, singulae) partes capitum separatae sunt, hic Prâkṛtarûpâvatâras instituitur a nobis

ut eae facilius cognoscantur." Qua de re Siṃharâja, non ut reliqui grammatici primum immutationem singularum litterarum docet, deinde ad declinationem et conjugationem progreditur, sed praemissa tabula terminorum technicorum (saṃjñâvibhâgaḥ et paribhâshâvibhâgaḥ) et additis regulis quae sunt de lopa et sandhi et similibus (saṃhitâvibhâgaḥ) statim ad declinationem sese vertit (vibhaktivibhâgaḥ) et primo loco agit de masculinis, quae exeunt in vocalem (ajantâḥ pulliṃgâḥ fol. 5 a — fol. 14 a), neque solum de substantivis sed etiam de adjectivis et pronominibus. Pro exemplo vocabulorum masculini generis in a ponit vṛxa; in i, vocabulum agni; in u, taru; in û, khalapû; in ṛ bhartṛ; deinde docet quomodo haec vocabula sint reddenda Prâcritica laudatque singulas vyâkaraṇae regulas, secundum quas ex Sanscriticis fiunt Prâcritica, quo facto ad declinationem ipsam progreditur docetque quae sint terminationes et quomodo ad stirpes sint addendae. Ut distinctius sit, quam rationem sequatur Siṃharâja subjungo partem capitis quod est de voce agni, cum ad singula decreta addam numeros decretorum Trivikramae. Siṃharâja fol. 9 b et 10 a:

ikârânto s gniçabdaḥ / // snehâgnyor vâ // (Triv. I, 4, 97) snehâgnyos saṃyuktasyântyahalaḥ prâg atvaṃ vâ bhavati / // naḥ // (Triv. I, 3, 52) astor akhor acaḥ parasya nakârasya ṇo bhavati / atvâbhâvapaxe // manayâṃ // (Triv. I, 4, 79) saṃyuktasyâdho vartamânânâṃ makâranakârayakârâṇâṃ lug bhavati / // çeshâdeçasyâhro s co s khor // (Triv. I, 4, 86) iti dvitvaṃ / agaṇi aggi iti sthite / sau / // sor lug // (Triv. II, 2, 9) iti luki prâpte // idutor dir // (Triv. II, 2, 22) iti vartamâne // çlug anapi soḥ // (Triv. II, 2, 29) idudbhyâṃ parasya soç çânubandho lug bhavati / napuṃsake na bhavati / çitvâd dîrghaḥ / agaṇî / aggî / jasi / // puṃso jaso ḍau ḍao // (Triv. II, 2, 24) pulliṃgâbhyâm idudbhyâṃ parasya jaso ḍitau au ao ity etau vâ bhavataḥ / // ṇo çasaç ca // (Triv. II, 2, 26) pulliṃgâbhyâm idudbhyâṃ parasya çasaç cakârâj jasaç ca ṇo ity âdeço

vâ bhavati / agaṇau / agaṇao / agaṇiṇo / aggau / aggao / aggiṇo / âdeçâbhâve çluk / agaṇî / aggî / saṃbuddhau / // ḍoçlukau tu saṃbuddher // (Triv. II, 2, 42) iti vikalpena çluki / he agaṇî / he aggî / çlugabhâve / // sor lug // (Triv. II, 2, 9) iti luk / he agaṇi / he aggi / ami / // ama // (Triv. II, 2, 2) iti makâro // bindul // (Triv. I, 1, 39) iti binduç ca / agaṇiṃ / aggiṃ / Sic reliqui quoque casus singulorum numerorum explicantur et praecipiuntur. Eodem modo post ajantâs pullimgâs tractantur ajantâḥ strîliṃgâḥ (fol. 14 a — fol. 17 a), deinde ajantâḥ napuṃsakaliṃgâḥ (fol. 17 a — fol. 18 b); secuntur vocabula in consonantem exeuntia; halantâḥ pulliṃgâḥ (fol. 18 b — fol. 23 b), halantâḥ strîliṃgâḥ (fol. 23 b — fol. 25 b), halantâḥ napuṃsakaliṃgâḥ (fol. 25 b — fol. 26 a). Deinde disserit Siṃharâja de vocibus yushmad (fol. 26 a — fol. 30 a) et asmad (fol. 30 a — fol. 32 b), quibus additur caput de immutatione stirpium eorum vocabulorum quae in capitibus praecedentibus non erant commemorata: atha prâtipadikâvasthâyâm eva keshâṃcit prakriyâviçeshaḥ pradarçyate (fol. 33 a—fol. 43 b); sequitur caput de indeclinabilibus (avyayavibhâgaḥ) (fol. 43 b — fol. 46 a), quo capite finitur subantavibhâgaḥ, qui priorem totius operis partem comprehendit. Progreditur Siṃharâja ad conjugationem (tiñantavibhâgaḥ) et positis pro exemplis verbis has et saḥ singulas inflexiones singulorum temporum et modorum illustrat (fol. 46 a—fol. 56 a). Deinde addit partem substitutionum radicum (dhâtvâdeçâḥ), et earum quae sunt necessariae (fol. 56 a — fol. 57 b) et earum quae pro libitu possunt substitui (vaikalpikâḥ) (fol. 57 b — 59 b). Secuntur deinceps dialecti inferiores, Çaurasenica (fol. 59 b — fol. 61 b), Mâgadhica (fol. 61 b — fol. 63 a), Paiçâcica (fol. 63 a — fol. 65 a), Cûlikâpaiçâcica (fol. 65 a), Apabhrañçica (fol. 65 b -- fol. 74 a), quas et ipsas eodem modo praecipit atque linguam Mahârâshṭricam. Vides Siṃharâjam id potissimum agere, ut uno in conspectu declinationis et conjugationis leges explicet, id quod a ceteris grammaticis erat neglectum.

Ipse tamen cum perspicuitati consulere studeret in aliud vitium incurrit; nam si litterarum singularum immutationum leges discere vis, Siṃharâjae grammatica vix uti potes, cum difficillimum sit singula decreta ex commentario eruere. Praeterea coactus est multa decreta persaepe repetere. Est tamen Siṃharâjae grammatica satis utilis continetque non raro largiorem formarum copiam quam vel Hemacandrae et Trivikramae opera. Occupat autem Siṃharâja similem locum inter grammaticos Prâcriticos atque Râmacandra Prakriyâkaumudis auctor inter Sanscriticos (cfr. Colebrooke Miscellaneous Essays II, p. 10. Böhtlingk Pâṇini II, p. LV). In medio opere Siṃharâja Xîrasvâminem quendam laudat (fol. 25 a). Agitur de voce apsaraḥ, quam nonnulli plurali tantum numero usurpari posse affirmant, cum Xîrasvâmin etiam singularem admittat. // sakârânto ṡ psaraç çabdaḥ // // sa âyurapsarasoḥ // (Triv. I, 1, 34) anayor antyahalas so vâ bhavati / // dhyaçcatsapsâm aniçcale // (Triv. I, 4, 23) niçcalavarjite ddhya çca tsa psa ity eteshâṃ cho bhavati / accharasâ / paxe ṡ ntyalopaḥ / accharâ / bahvarthavâcitvât sarvatra bahuvacanam eva / accharasâo / accharâo / accharâ ity api darçanât prâyikaṃ bahutvam iti Xîrasvâmî / Probabile est sermonem esse de Amarae scholiasta.

Detexit nuper Hoernle Çubhacandrae cujusdam grammaticam Prâcriticam (Indian Antiquary January 1873). Ex paucis exemplis quae idem in „Journal of the Asiatic Society of Bengal" nobiscum communicavit, video Çubhacandram cum Drâviḍis facere. Codices Devanagarici igitur aut transcripti sunt ex Drâviḍicis aut Çubhacandra totam grammaticam a Drâviḍis sumpsit. Nam australis Indiae proprium esse hoc genus grammaticarum eo probatur, quod scholiastae quoque Drâviḍici eo sunt usi.

Haec habeo de grammaticis Prâcriticis.

# Index.

---

# Theses.

---

1. Recte Goldstücker (Pâṇini 183—213) et Westergaard (Aeltester zeitraum der indischen geschichte p. 67). Prâtiçâkya ea qua nunc sunt forma Pâṇine esse recentiora affirmant.

2. Kṛshṇae cultum cum Christianismo conjunctum esse nego.

3. In versu sexto hymni ad Virginem Mariam Godofredo Argentoratensi attributi (zeitschrift für deutsches alterthum IV, p. 514—548) codicis scriptura „des ist als ein wiht" restituenda videtur.

4. Ecstasis Neoplatonicorum cum Buddhae de nirvâṇa doctrina non cohaeret.

---

Typis Grassi, Barthii et Soc. (W. Friedrich) Vratislaviae.